6
36-F
38

6
4 L
28

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
6-36-F-42

6-36.F.38

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS HARDUINI

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI

ANTIRRHETICUS

DE

NUMMIS ANTIQUIS

COLONIARUM ET MUNICIPIORUM,

AD JOAN. FOY-VAILLANT MED.

Bibliothecæ Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

PARISIIS,

Excudebat FRANCISCUS MUGUET, Regis & Illuſtriſſ. Archiepiſcopi Pariſienſis Typographus.

MDCLXXXIX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS HARDUINI

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI

ANTIRRHETICUS

DE

NUMMIS ANTIQUIS

COLONIARUM ET MUNICIPIORUM,

AD JOAN. FOY-VAILLANT MED.

LIBER a te nuper, o Valens, de numiſmatis æreis coloniarum ac municipiorum in lucem editus, poſt annos fere quatuor quam cenſorium adverſum nos ſtilum exſerere deſtinaras, mihi diutiſſime latuerat : cum ante menſem unum ferme aut alterum venit ad me de more quidam ex intimis meis, qui hunc coëmit, quoniam hoc genere doctrinæ capitur & gaudet in primis : iſque, ſive veteris noſtri ad ea ſtudia impetus iterum accendendi cauſa, quem deferbuiſſe noverat, ſive juſti doloris ad legitimam defenſionem incitandi, violatam a te plurimis locis noſtram exiſtimationem, famamque læſam confirmavit. Cum vix jurato crederem, quod conſcientiæ meæ teſtimonio nihil erat a me commiſſum, quod

boni cujuſquam offenderet animum : oſtentare confeſtim ille indicem auctorum recentiorum, quos in operis decurſu laudares, in quo nullius alterius toties, quoties noſtrum nomen appareret. Hinc ad ipſum opus pervolutandum aggreſſus, orſus a præfatione, cœpi tunc propemodum amico ſubiraſci : quoniam ſecus atque narraret, ibi te de me ſentire, & ſatis honorifice me a te tractari, oculi ipſi facerent fidem. *Nummorum* enim, quos Sirmondus noſter ſummo labore conquiſivit, *in Ludovici Magni Collegio, librorumque cuſtodiendorum provinciam eruditiſſimo P. Harduino, de nummis bene merito, conceſſam* ibi commemoras. Iterumque in indice animadverti, (nam mos eſt hominum, quibus non eſt ſatis abs re ſua otii, librum ut integrum evolvant, conſulere indices :) *P. Harduinus S. I. erud. notis Plinium illuſtravit, & de re nummaria bene meritus.* Liberalius ſane dictum, quam optarim : quippe qui tametſi nec labori, nec lectioni, neque exercitationi parco, tamen exiguam eruditionis in me partem agnoſcam : nec tali me a quoquam onerari laude æquo ac lubenti animo feram. At me, quem nihilominus tantis præconiis extolleres in fronte operis tui, male deinde accipi in ipſo voluminis corpore, vix inducere animum poteram ut exiſtimarem. Quem enimvero de nummis bene meritum fatercre, qua in re de te male meritum me putarem, cujus in eo genere lucubrationem haud mediocri tibi eſſe poſſe adjumento ea confeſſione agnoſceres ? Verum inſtare ille porro, vehementiuſque contendere, me crebro laceſſitum a te : ſubinde quidem laudatum ſatis benigne & clementer, ab eruditione, ab acumine, a ſagacitate : ſed ferrum ibi occultari, meque extra hæc loca gravibus deinde vulneribus appetitum, multoque ſæpius nomine appellatum, adductumque in vituperationem. Cetero nec deeſſe in opere tuo plurima, quæ poſſem viciſſim carpere ac vellicare. Itaque interpellare ille me, enixeque hortari, ut ni vellem publicam defenſionem inſtituere, te ſaltem per epiſtolam & humanitatis, quam violaſti, amice commonerem : & quæ perperam in me reprehendiſſes, aut ultro ex te male docuiſſes, ſi qua eſſent ejuſmodi, dedocerem. Negavi præciſe initio id me facturum. Scilicet ne reſpondendum putarem, non pauca

Digitized by Google

deterrebant : tum illud maxime, quod minime ſentiebam eorum manibus id opus teri, aut apud illos in aliqua exiſtimatione eſſe, apud quos noſtra intereſſet, collectam, quantulacumque eſt, famam conſervare. Nemo certe illorum de eo quidquam ad me referre. At ecce repente inter has altercationes, volumen alterum in lucem prodit, in quo amicus idem ille noſter monere ſerio & graviter, a ſilentio quod ipſe mihi indixiſſem, creviſſe tibi animos, creviſſe convicia. *Ariolari* nos enim, *nugari*, *allucinari*, *graviſſime errare*, *abuti ingenio noſtro*, te ſubinde dicere : ſimiliaque maledicta a te paſſim in nos jactitari. Quam illiberalem linguæ licentiam cum ridendam a me & contemnendam obſtinate pertenderem, in alteram tandem partem inflexit animum, & priora conſilia diſturbavit. Oſtendit enim difficile fore, ut omnes exiſtiment, me injuria toties a te fuiſſe pulſatum, niſi reipſa oſtendatur. Parüi ergo demum ac ceſſi amici adhortationibus : ſtudiiſque meis tantum detraxi temporis; quanquam invitus, quantum ad epiſtolam, ſeu brevem commonitionem elucubrandam ſatis eſſet : cum a longiore mora in hoc argumento, atque a ſpiſſiore paulo volumine exarando animus, ut nunc eſt, vehementer abhorreat. Quin hanc ipſam opellam ex quo ſum ſemel orſus, ita fui ſæpe traductus alio, vix ut aliquando licuerit aut interruptam contexere, aut abſolvere inſtitutam.

Unde autem potiſſimum ordiar, quam ab illa immodica accuſandi prurigine, qua falſa etiam nobis crimina objicis : idque me affirmaſſe pronuncias, quod præciſe negavi ? *Ad Æliæ Capitolinæ urbem*, inquis, pag. 252. *pertinet M. Aurelii nummus, ſub prava* COL. PAPIAE.... *epigraphe a Triſtano vulgatus : quem ille ad Papiam Cæſarienſem Mauritaniæ revocat. Nummum vero P. Harduinus pag* 380. *ad Puppiam Proconſularis Africæ urbem pertinere fruſtra contendit.* Patere me, amabo, ridere tecum, & iram ſimulare, a qua longiſſime noſtri mores abſunt. Vigent in Gallia ſcilicet ſanctiſſimæ leges adverſus falſos accuſatores : nec metuis ne inter ſontes rapiare ? Fidem non vereris ne tu dicaris præferre quidem in nomine : ſed titulum, ut jureconſulti aïunt, ſine re : denique ne qui πιστὸς vocaris, ἄπιστος habeare. Nam ubi fides ?

A iij

Digitized by Google

ubi pudor? Negamus plane conceptis verbis ad Puppiam Africæ nummum eum referri poſſe: aïs tu nos eo ut referatur imperare. Quem te vis haberi igitur ab eruditis probiſque viris? aut quis illorum ipſorum, quorum carmina in tuas laudes operi tuo præfixiſti, non tuam hoc loco inconſiderantiam erubeſcat, juſtamque meam & neceſſariam eſſe defenſionem fateatur? Adi rurſus ea quæ de hoc nummo edidimus: vel hic eadem iterum perlege. COL. PAPIAE. *M. Aurelii nummus apud Triſtanum, a quo hic nummus ad Papiam Africæ revocatur, Ptolemæo, inquit, memoratam, libro* IV. *cap.* III. *Falſo: cum ibi Papia nulla, ſed* Δαβια *ſit. At ſi uſpiam Papia occurrat ex Africa, vox ea in mendo cubat, eſtque in Puppiam transformanda, quæ civitas fuit Proconſularis Africæ: unde Reparatus Puppianenſis in Notitia appellatur. Ad Papienos referri oportuit, cujus coloniæ vetus inſcriptio meminit apud Gruterum, pag.* CCCCXLVIII, 4. *ſitumque prope Sinueſſam, Latii oppidum, indicari.* COLONIS. SINUESSANIS ET. PAPIENIS. MONUMENTUM. Hoccine fuit nummum retuliſſe ad Puppiam Proconſularis Africæ? Sane, ſi Puppia eadem cum Papia eſt: aut Latium forte tuo juſſu ſuis convulſum ſedibus in Africam commigravit.

Jam idemne cum tuo nummus ille Triſtani ſit, difficile eſt ſtatuere, niſi ei, qui utrumque oculis uſurparit: eoque magis, quod a tuo diſcrepare longiſſime ille videtur. Nam quæ in ambobus litterarum ſimilitudo aut affinitas eſt? Tuus te uno quidem teſte præfert, COL. AEL. CAP. Quid porro Triſtanicus? COL. PAPIAE. Triſtani tamen peritiam mirantur hodieque eruditi: tuam, cum Græca præſertim numiſmata edideris, agnoſcemus. In hoc tuo opere quale ſpecimen eruditionis dederis, mox faxo intelligas: fac, ſi potes, ut nemo id reſciat. Non impar ille in hoc certaminis genere, ut quibuſdam viſum eſt, olim congreſſus Achilli, hoc eſt, Sirmondo noſtro. Tu ſi parem colligere famam te poſſe ſperaſti, noſtro toties impetito nomine, erras tu quidem, amice, vehementer. Nam nec nos, quos laceſſis, tanti ſumus: nec præter hoc legitimum ac neceſſarium defenſionis onus, unquam deinde vel tecum vel cum quovis

Digitized by Google

alio de nummis antiquis manus conſeremus. Gravioribus enim ſanctioribuſque curis diſtinemur, quam ut avocare animum ad iſta profana, ſine piaculo ac detrimento, liceat: nec tanti arbitramur eſſe, ut invidorum ictus repellamus, bonas horas perdere: nedum ut te ſolœcizare dedoceamus: quod cum paſſim in opere tuo factitas, tum hoc loco turpiter, qui Æliæ Capitolinæ urbem appelles. Rideamus licet: ſum enim a te invitatus. An ſi vel urbem Romæ filius tuus, cujus ſtilo fronti operis tui elogium tuum præfigendum curaſti, diceret in ſcholis, non ferulam frangeret?

Levior aliquanto criminatio eſt, qua quod nonnullis placuiſſe narro, mihi uni adſcribis, me unum ejus rei auctorem vis haberi. *Triremis*, inquis, pag. 116. *in Sagunti & Valentiæ nummis earum in mari potentiam aut ſitum arguit: nec, ut videtur P. Harduino, triremis ideo inſculpta eſt, quod ex Zatyntho inſula colonia deducta ſit. Quod ipſe P. Harduinus ex Patino, ut iſte ex Antonio Auguſtino hauſit.* Ain tu ita nobis videri? Diximus ita velle nonnullos: eam cauſam arridere nobis quo deinde etiam verbulo ſignificavimus? Verba noſtra rurſus lege. *Triremem ideo inſculptam VOLVNT, quod ex Zacyntho inſula deductam eo coloniam referunt Polybius, Strabo, Silius.* His aſſentiri nos an uſpiam oſtendimus? Nec magis tamen in Sagunti Valentiæque nummis ſitum oppidi, vel civium in mari potentiam triremis indicat, quam navis hodie in Pariſienſium aliorumque nummis. Deſignabat in Corinthiis Patrenſibuſque quondam adventum Auguſti, aliud in aliis: quanto conſideratius fuit judicium exemplo noſtro in re dubia ſuſpendere, quam temere affirmare? Adeo autem, pace tua dicam, luſcitioſus mihi viſus es in obſervandis noſtris erratis, ut ubi nulla eſſent, deprehendere ea te putaris: ubi eſſent aliqua, ſis prætergreſſus. Quorſum falſa conquiris crimina, cum vera non deſint? Quin noſtra de Ægis, de Anazarbenſium, Gadarenſiumque, ac fortean Laodicenorum æra, ſiquidem oculatus es, aliave σφάλματα detexiſti? quæ nec ipſi indicare erubeſcimus, nec ſanare admodum ſatagimus, quod in ea re nullum aut leve operæ ac moræ pretium fore putamus. At ea nihilominus indicari a te oportuit, qui rei nummariæ peritiam in præfatione

Digitized by Google

jactitas, triginta annorum ſtudio ac labore partam. Quam venditare tamen quibus & quantopere debeas, ex hoc nonnullarum tuarum explicationum breviculo intelliges: in eo enim quam præpoſtere nummos quamplurimos interpreteris, te, quod oro æqui bonique ut conſulas, ſæpiuſcule commonebo. Sparſos autem a te, ac ſubinde repræſentatos earumdem urbium nummos, unum in conſpectum ſub certa litterarum ſerie colligam: ne, quod tibi uſuvenit, de ejuſdem unius oppidi nummis nullo operæ pretio, ſub diverſis principibus, iteretur oratio. Ceterum noli conturbari. Agam tecum mitiſſime: parcam intemperantius aliquid in te jacere: compendiumque operæ faciam: tum ut nec ſingula perſequar, ſed quædam paſſim & quaſi per ſatyram colligam: tum ut in paucis illis, quæ attingam, indulgentiam meam lenitatemque non deſideres. Qui a nobis autem nummi laudantur, hos in calce hujus lucubrationis offendes, eo ordine, quo quiſque in margine appellatur.

A

ACCITANÆ coloniæ nummos a te duos attributos eſſe, qui ſunt Tuccitanæ.

1. PAGINA 13. nummum Auguſto principe cuſum exhibes, ſic inſcriptum, C. I. G. A. cum apice pontificali & ſimpulo: atque ita interpretaris: *Colonia Iulia Gemella Accitana:* cum nec ullum reperire numiſma ſit coloniæ Accitanæ, quod non priores ejus nominis ſyllabas repræſentet, COL. ACCI. vel COL. GEM. ACCI. vel COL. JUL. GEM. ACCI. & in iſto legi neceſſe ſit, *Colonia Iulia Gemella Auguſta*, deque Tuccitana colonia intelligi: quod oppidum inter Cordubam Giennumque poſitum, *Martos* hodie nuncupatur. Hæc nempe ſimpliciter COL. AUGUSTA. GEMELLA, in Claudii nummo ex Goltzio appellatur: Plinio noſtro, libro III. ſect. III. *Colonia immunis Tucci, quæ cognominatur Auguſta Gemella.* In nummo Cordubenſi, COLONIA. PATRICIA. pariter apex eſt cum ſimpulo ſculptus, ſub eodem Auguſto principe, apud

Digitized by Google

apud te ipſum pag. 60. ut utriuſque oppidi cives , cum 2.
eſſent inter ſe finitimi, pari conſenſu pontificatum Auguſto
gratulatos fuiſſe noris : eodemque tempore cuſa hæc duo
numiſmata. Quibus adde & tertium, pag. 69. Juliæ Traductæ, 3.
in quo pariter apex ſimpulumque cernitur : argumento cer-
tiſſimo, a Bæticæ oppidis ſimul univerſis hanc lætitiæ ſuæ
ſignificationem datam eſſe, atque adeo a Tuccitanis , non
ab Accitanis, qui citerioris Hiſpaniæ fuere, Carthaginien-
ſiſque conventus.

Expunge itaque & alterum a te pag. 93. laudatum , in- 4.
ſcriptumque pariter C. I. G. A. cum Germanici & Druſi
Cæſarum nominibus capitibuſque : atque eodem referri
oportere, hoc eſt, non ad Coloniam Juliam Gemellam Ac-
citanam, ſed ad Coloniam Juliam Gemellam Auguſtam,
agnoſce, ſive ad Tuccitanam.

Rogas Auguſtæ nomen cur poſtremo loco ponatur, cum
priore collocetur a Plinio ? Doce viciſſim, quamobrem in
Calaguritanorum numiſmatis Juliæ appellatio poſtponatur :
MVN. CAL. I. vel MVN. C. I. *Municipium Calaguris
Julia*. Quid a me reſponſi exſpectandum ſit intelliges, cum
quid mihi ſis ipſe reſponſurus, tecum cogitaris.

Æliæ Capitolinæ adſcriptos a te fuiſſe nummos duos, qui ſunt Cæſareæ Palæſtinæ.

NUMMUM Antonini Pii geminum repræſentas, pag. 5.
239. cujus in averſa area litteræ eæ exſtant, C. A. C.
de quibus ita pronuntias. *Has notas P. Harduinus inter-
pretatur, Colonia Aſido Cæſariana. Laudandus quidem illius
conatus : ſed genuina explicatio, Colonia Ælia Capitolina eſt.*

Quonam vel uno ex tota antiquitate exemplo , ſive in
nummis, ſive in lapidibus, docere poſſis litteram A ſolita-
riam poni, ubi ſyllaba prima proprii alicujus nominis præ-
nominiſve, quod deſignatur, ab Æ diphthongo incipiat ?
A. P. vel Q. A. quoties cum IIIIVIR. vel IIVIR. co-
pulatur, quis niſi veterum notarum expers ac rudis aliud
intelligat, quam illic quidem Ædilitiam Poteſtatem , iſtic
Quæſtorem Ædilem ? A ſolitarium in nominibus propriis.

Digitized by Google

aut prænominibus ſi occurrat , ſive in lapidibus , ſive in
nummis aliter accipi poteſt : nam quis non Auguſtam , ac
ſi quidem A geminetur , Antoninianam Auguſtam citius ,
quam Æliam cogitet ? Ælia igitur ubi intelligi ac dici de-
bet, ſcribi certe id nomen ſic oportet, ut præter iſtud legi
aliud nullum poſſit. Igitur per A ſcribi nefas : cum aliud
ab Ælia nomen hæc littera paſſim deſignet.

Quanta cura AE.L. vel AELIA ſine notarum compen-
dio nummi & marmora exhibent ? Vis igitur uni tibi credi,
reclamantibus omnibus antiquis monumentis ? A quo de-
mum erudito homine, nec harum rerum omnino rudi extor-
quebis fidem ? Omnes ſub Hadriano conflati Æliæ nummi
præferunt COL. AEL. CAP. te ipſo teſte, pag. 220.
& 221. Sub Antonino Pio, cui dicatus & iſte eſt, tum ille,
quem exhibes pag. 237. COL. AELIA. CAP. tum quem
9. pagina ſubſequente, COL. AEL. CAP. Sub Aurelio
quos habes pag. 251. 252. 253. COL. AEL. CAP. Sub
Commodo apud Erizzum, ut monuimus in libro noſtro de
nummis pag. 562. teque ipſo teſte, pag. 299. COL. AEL.
CAP. COMM. quomodo inſcriptos & ipſe refers ſub Se-
vero, ſub Diadumeniano, ſub Elagabalo, ſub Decio, ſub
Herennio, ſub Hoſtiliano.

Quomodo igitur eſt legendum, inquies ? Equidem, quod
noſtrum laudas conatum, qui pridem conjiciebamus legi
poſſe, *Colonia Aſido Cæſariana*, nihil dicam jactantius, me-
rito id ac jure facis. Nam quid dici plauſibilius potuit ab
eo, qui unicum vidiſſet adhuc cum ea epigraphe nummum,
& quidem ita obſcurum, ut evanida prorſus eſſet effigies in
eo inſculpta, nec diſcerni illa probe poſſet ? Nunc vero cum
illuſtriore reperto numiſmate conſtet, eandem in hiſce num-
mis ſimilitudinem Aſtartes Deæ expreſſam eſſe, quæ in
nummis Cæſareæ Palæſtinæ occurrit ſub Hadriano, ipſo te
6. agnoſcente, pag. 223. & in Fauſtina, pag. 281. eodem plane
ſitu habituque depictam, eandem ſub pedibus, non ſemi-
figuram, ut barbare loqueris, ſed viri umbilico tenus ex-
ſtantis, atque ex amne emergentis imaginem : quis jam
deinde reliquus eſt ambigendi locus, quin ad Cæſaream
Palæſtinæ referri nummum, legique hoc modo epigraphen
oporteat, *Colonia Auguſta Cæſarea?*

Nam ecquid habes, amabo, quod opponas? *Nullus eſt Cæſareæ fluvius proximus*, inquis, in Hadriano, pag. 223. atque idcirco depictum ſimiliter fluvium in Cæſarienſium nummis, Adonim eſſe putas, qui Byblon præterfluit: id quod paſſim in tuo opere inculcas, etiam tomo poſteriore, pag. 26. Profecto ſi ita eſt, nihil jam vetat, quominus Orontem Samoſateni, Antiocheni Euphratem inſculpſiſſe olim, aut hac ætate Pariſienſes in nummis ſuis Rhodanum, Sequanam Lugdunenſes pingere exiſtimentur. De Cæſarea tamen mox viderimus. 6.

Dic interim tu viciſſim, ecquis Æliam amnis ſubluit, cujus cauſa nummos iſtos Æliæ adjudices? Hic nos iterum, quoniam nullus Æliam amnis præterlabitur, ad Adonim & Byblios, quos tu Adoniones novo nomine appellitas, ablegas ac remittis: neque hic tantum, ſed & in Severo ac Diadumeniano: Adonimque amnem pictum in Æliæ nummis aſſeveras. Qua auctoritate? quo teſte credi vis Bybliorum religionem aut Cæſareæ receptam, aut Æliæ? aut quid nobis Adonidis fabulas occinis, quibus in Syriæ totius nummis, quos quidem adhuc videre cuiquam licuit, nihil eſt loci? Dic, ſi nullus utrobique proprius amnis eſt, cur magis Æliæ nummos adſeris, quam Cæſareæ? Dic, quo tandem in nummo alterius amnis eo modo ac ſitu expreſſam effigiem videris, præterquam illius, qui oppidum ipſum, cui nummus adſcribitur, alluat? Non ſunt hi nummi Æliæ igitur, ubi nullus amnis.

Nam quod in Æliæ nummo, tum ſub Severo, pag. 1. tum ſub Diadumeniano, pag. 101. Aſtarten ſculptam arbitraris, quæ fluvium, ut loqueris, pede calcat, nempe Adonin, ut interpretaris: vide ne mera ſint ingenii tui ſomnia: non ſunt enim ſcalptoris. Stat Imperator ipſe ſub Serapidis effigie, ut alibi paſſim. Numinis ipſius, quod Æliæ colitur, caput dextra gerit, læva haſtam puram: pede captivum premit. In Diadumeniani nummo præterea victoriolæ dextra lævaque globis impoſitæ coronas victori Auguſto porrigant. Quam ob victoriam rogas? Severi quidem notæ ſunt palmæ: ob quas in nummis Arabicus, Adiabenicus, Parthicus appellatur. Diadumeniani victorias accipe a Julio Capitolino, 8.

in Macrini vita. *Pugnavit tamen & contra Parthos, & contra Armenios, & contra Arabas, quos Eudæmonas vocant, non minus fortiter quam feliciter.* Non ignoras autem, opinor, una cum Macrino patre Diadumenianum Auguſti nomen geſſiſſe, bellis interfuiſſe, ſimul viciſſe. Sed ad nummos, de quibus præſens inſtituta diſceptatio eſt, revertamur.

Cæſaream ergo cur negas amne allui? *Vrbis ſitum*, inquis, loco citato, *apud Ioſephum libro* III. *de bello*, *cap.* XIV. *videre eſt.* Amnis igitur forſan ibi aliquis poſt Joſephi ævum emerſit. Vidit enim amnem eum Jacobus de Vitriaco, teſtis locuples & idoneus, libro VII. belli ſacri, cap. XXI. *Cæſaream*, inquit, *ſecundæ Palæſtinæ metropolim, quæ priſco nomine Turris Stratonis appellata eſt, pervenientes, ſecus fluvium, qui de paludibus eidem urbi adjacentibus defluit, caſtra metati ſunt.* At amnem eundem memorant, Plinius Joſepho ſuppar ætate, ac Ptolemæus: ille ſub Crocodilon appellatione: iſte, ſub Χερσεοῦ. Plinius enim libro V. ſect XIV. *Stratonis turris, eadem Cæſarea, ab Herode rege condita: nunc colonia prima Flavia, a Veſpaſiano Imperatore deducta. Finis Palæſtines, deinde Phœnice.* A quo fine pauliſper digreſſus, ad eum revertitur, ſect. XVII. *Hinc redeundum eſt*, inquit, *ad oram, atque Phœnicen. Fuit oppidum Crocodilon: eſt flumen: memoria urbium, Doron, &c.* Flumini nomen inditum a crocodilorum copia innuit. Ptolemæus autem diverſa via a Phœnice incipiens, pergenſque inde in Palæſtinam, libro V. cap. XV. Δῶρα, inquit, Χερσεοῦ ποταμοῦ ἐκβολαί. Et capite ſequente: Μετὰ τὰς τοῦ Χερσεοῦ ἐκβολάς, Καισάρεια Στράτωνος. Intelligis exinde eundem ab utroque amnem diſpari licet nomenclatione indicari, eumque urbi proximum? atque idcirco recte inſculptam in ima parte nummi effigiem hominis ex amne emergentis, ut in Antiochenſium numiſmatis, & Samoſatenſium, quamplurimiſque aliis: qui typus appoſitum amni oppidum declarat.

6. Nam quod caput Aſtarte manu præfert, in nummo Cæſareæ ſub Hadriano, pag. 223. atque adeo & in his duobus ſub Antonino, papyraceum illud eſſe cum arbitraris, quod ab Ægypto Byblum mari deferri Lucianus narrat: plane id alienum eſt hoc loco, nec ulla ex parte verum. Caput

enim eſſe Serapidis, qui Cæſareæ æque atque Æliæ colere-
tur, ut nummi alii innumeri teſtantur, in quibus unius Se- 9.
rapidis caput exſtat: tum ipſis nummis credere debuiſti,
quos Æliæ nunc immerito tribuis, pag. 239. & Cæſarienſi
alteri ſub Julia Domna, pag. 25. Nam capiti illi, quod 7.
Aſtarte manu tenet, calathus impoſitus eſt, inſigne Sera-
pidis. Tum Bocharto habenda fides fuit, de ſimili Aſtartes
effigie hoc ipſum affirmanti, ut confiteris, pag. 281. in num-
mo Cæſareæ, ſub Aurelio principe.

Sed quo jure Auguſta Cæſarea tantummodo appellatur, primæ Flaviæ appellatio detrahitur? inquies. Sentio enim hunc tibi hærere ſcrupulum. Eximam vero perlubenter. Quo plane jure in nummo Hadriani, quem tu ipſe pagina proxime antecedente laudas, ut innumeros alios ſimiles prætermittam, COL. BER. *Colonia Berytus* tantum inſcribitur, depoſito Juliæ Felicis prænomine, quo ſæpe gloriatur, quod ei uni in hoc tractu competit: aut COL. COR. *Colonia Corinthus*, ſepoſita Laudis Juliæ ſimili nomenclatione: aut ipſa denique Cæſarea in Titi nummo, COL. CAESAREA tantum inſcribitur, nullo adjecto prænomine. Quis enim non intelligit compendii cauſa dici ſcribique *Colonia Auguſta Cæſarea*, pro *Colonia prima Flavia Auguſta Cæſarea*?

Satis igitur habeto ſuos Æliæ Capitolinæ nummos adſignare: alienos cave adjudices: nec ægre feram ſane viciſſim Græcum Severi nummum, ΚΑΠΙΤΩΛ. ΙΕΡ. ΑC. ΑΥ. hoc eſt, Καπιτωλιάδος ἱερᾶς ἀσύλου αὐτονόμου, Capitoliadi Cœleſyriæ oppido adſcribi, adimique Æliæ Capitolinæ, cui V. Cl. Holſtenius dederat: tametſi iis perſuaſus argumentis iſtud ultro dem atque concedam, quæ ſentio nondum te eſſe ſubodoratum.

ANTIOCHIÆ Syriæ nummos duos a te eſſe adjudicatos, qui ſunt Antiochiæ Piſidiæ.

GEMINUM affers pariter Antiochiæ nomine nummum
inſcriptum, alterum pag. 189. ſub Veſpaſiano, alterum 10.
ſub Domitiano Cæſare, pag. 197. eodem utrumque anno
cuſum, eadem turriti capitis effigie, eadem epigraphe in-

Digitized by Google

ſignitum, ANTIOCHIA. De utroque quid cenſeas audiamus. *Ad Antiochiam Syriæ*, inquis, *Triſtanus & Patinus hunc nummum revocant. Pater vero Harduinus illum ad Antiochiam Piſidiæ coloniam ex ejus epigraphe Latina pertinere contendit. Sed hæc in nummis colonia Antiochenſis in omnibus ſuis nummis inſcribitur.* Atqui & nos veriſſime numiſmata omnia, quæ Antiochiæ Syriæ nomen præferant, Græce eſſe ſcripta contendimus: nec tu ullo probaveris documento coloniæ vocem a Piſidicæ nummis nunquam abſuiſſe. Exſtant ſiquidem percuſſa numiſmata ab Antiochenſibus Syriæ ſub Auguſto, Tiberio, Claudio, Nerone, Hadriano, Vero, Commodo, Severo, Caracalla, Macrino, Diadumeniano, Gordiano III. Tranquillina, duobus Philippis, Otacilia, Decio, Etruſcilla, Herennio Decio, Hoſtiliano, Treboniano, Voluſiano: ecquod iſtorum non Græcum eſt? Videſis igitur proferas ut idoneum argumentum, quo planum fiat, quamobrem hæc ibidem immutata ratio ſit: atque uno hoc anno Latine inſcripti ſint, qui reliquis tum prioribus, tum ſubſequentibus, nonniſi Græcam epigraphen exhibeant.

At nec Piſidicam ſemper Antiochiam COL. ANTIOCHIA, vel ANTIOCHEN. inſcribi neceſſe eſt, adjecto ſic coloniæ vocabulo. Alioqui quid fiet aut Corinthi nummis pleriſque, a quibus vox eadem COL. abeſt, etiam ſub Julio Dictatore: aut iis quos tu ad novam Carthaginem, nos, ut dicemus, ad Norbam Cæſarianam revocamus? nam in his nunc adjecta coloniæ vox eſt, nunc eadem abeſt, ipſo confitente te. An igitur ad alia continuo oppida eos, qui voculam hanc expreſſam habent: ad alia eos, in quibus ea nota deſideratur, es relaturus? minime ſane, opinor. Antiochiæ igitur Piſidicæ hos quoque reſtitue: de qua Plinius noſter, libro v. ſect. XXIV. *Piſidæ, quorum colonia Cæſarea, eadem Antiochia.*

ANTIOCHENÆ civitatis utriuſque, Syriacæ nimirum, ac Piſidicæ, nummis inſculptæ litteræ quo ſpectarent, te neſciſſe.

MAXIMA de his litteris Δ. E hoc eſt, *Δημαρχικῆς ἐξουσίας*, *Tribunicia poteſtate*, & S. C. *Senatuſconſulto*, II.
quæ in Antiochenſium e Syria nummis occurrunt, inter eruditos diſceptatio eſt, quam vim illæ habeant, quid ſignificent. Aïs tu paſſim, maxime vero in Caracalla, pag. 34. in Macrino, pag. 90. in Diadumeniano, pag. 102. & 103. in Elagabalo, pag. 107. & 122. alibique, poſterioribus litteris ſignificari conceſſam a Senatu Romano Antiochenſibus cudendæ monetæ facultatem: prioribus, eam deſignari Tribuniciam poteſtatem, quam a Sylla exſtinctam Pompeïus reſtituit: conceſſumque jus idem Antiochenis a Populo Romano cum Senatu conjunctim. Nos deinde, quod paulo ſecus ac tu ſentimus, ſubinde, ut ſoles, non urbaniſſime increpas. Ut orationis operam compendifaciam, ſic habeto. Duum generum monetam coloniæ multæ *cuſerunt*. Cuderunt, volui dicere: ſed tua ſemper ſolœca vel invito mihi ſeſe offerunt: quale iſtud, quod ſæpiuſcule uſurpas: in primis tomo priore, pag. 85. Duplex, inquam, moneta coloniarum ex eadem officina & fabrica prodiit. Nam quod aïs Antiochiæ, aliiſque locis duas exſtitiſſe monetæ cudendæ baſilicas, pace tua dixerim, mera divinatio eſt: neque ea certe probabilis: cum unica ſit Lutetiæ Pariſiorum, quanto populoſiore, quam Antiochia, civitate?

Quin dixiſti potius unius Monetæ opifices fuiſſe plures, plures monetarios, plures officinas? Neque enim fere exiſtimandum eſt, aut ullo id certe argumento liquet alibi contigiſſe, quod Sidonius Apollinaris de Narbone cecinit, carmine XXIII.

Salue, Narbo, potens ſalubritate,
Portis, porticibus, foro, theatro,
Delubris, capitoliis, MONETIS.

Duas enim tunc illic eſſe Monetas: alteram, quæ Gothicæ pecuniæ: alteram, quæ Romanæ figurandæ incumberet, ex

uſu illius ævi fuit. At unicam in ipſa urbe Conſtantinopolitana Monetam, ut Capitolium unum, exſtitiſſe, deſcriptio ejus urbis ſub Theodoſio juniore edita admonet. Unicam pariter Roma vetus habuit, cujus effigiem nova repræſentavit. Verum in una baſilica, ſive Moneta, plures monetarii, plures monetariorum officinæ fuere. Quot, inquies? Conſtantinopoli quidem ſaltem tres, uſque ad Valentis tempora: ut ex Valentis, Valentinianique nummis apparet. Nam Valentis quidem inſcripti, OFF. II. CON. & OFF. II. CONST. Valentiniani, OFF. III. CONST. *officina ſecunda, officina tertia Conſtantinopolitana*, apud V. Cl. Mediobarbum. Poſtea fuere decem, hoc modo in nummis ſignatæ, quem nondum vidimus a quoquam eſſe animadverſum.

Prima, CON. A. in nummis Anaſtaſii, Juſtini junioris, Tiberii, Heraclii, Leonis Iſauri: poſt cujus tempora CON. aut CONOB. in Auguſtorum nummis ſcribi deſitum eſt. Item CONS. A. in nummis Conſtantini Magni, Juliani. KONS. A. Conſtantii, Juliani. CONSP. A. hoc eſt, *Conſtantinopoli percuſſa*, *officina prima*, in nummo Joviani. A. COMOB. in nummis Arcadii, Tiberii: hoc eſt, *officina prima, Conſtantinopoli moneta obſignata*. Denique A. CONOB. in nummis Anaſtaſii, Juſtiniani.

Secunda, CON. B. in nummis Anaſtaſii, Juſtini junioris, Tiberii. B. COMOB. Theodoſii Magni. B. CONOB. Theodoſii Magni, Baſiliſci, Juſtiniani, Tiberii.

Tertia, CON. Γ. Juſtini junioris, Focæ, Heraclii Conſtantis. CONS. Γ. Arcadii. CONSP. Γ. *Conſtantinopoli percuſſa, officina tertia*, Juliani.

Quarta, CON. Δ. Juſtiniani, Tiberii, Heraclii Conſtantis. Δ. COMOB. Juſtini. Δ. CONOB. Zenonis, ex Mediobarbo: Juſtini.

Quinta, CON. Є. Flaccillæ, Anaſtaſii, Mauricii, Focæ, Heraclii. Є. COMOB. in nummo Arcadii aureo, qui apud nos eſt: in media area, S. M. *Sacra Moneta*. Є. CONOB. Baſiliſci, ex Mediobarbo: Heraclii, Juſtiniani II. ſive Rhinotmeti, qui ſe SERVUM CHRISTI in nummis inſcripſit.

Sexta,

Sexta, ϛ. CONOB. Anaſtaſii, Juſtini.

Septima, Z. CONOB. Arcadii: & ex Mediobarbo, Leonis M.

Octava, H. CONOB. Placidii Valentiniani, Tiberii, Heraclii.

Nona, C. Θ. Juſtiniani, ex Strada. Θ. CONOB. Leonis junioris, ex eodem.

Decima, I. CONOB. Theodoſii junioris, Zenonis, Conſtantini Pogonati.

Neque vero Conſtantinopoli dumtaxat, ſed & in aliis civitatibus officinæ plures fuere. Antiochiæ decem ſimiliter occurrunt.

ANT. A. in nummis Juliani, primam deſignat.

AN. B. Martiniani, Licinii: & ANT. B. Valentis, Theodoſii, Honorii, Arcadii, ſecundam.

ANT. Γ. tertiam, Valentiniani M. Theodoſii, Honorii, Arcadii.

ANT. Δ. Honorii, quartam.

ANT. Є. quintam, Valentiniani M. & SMAT. Є. *Sacra moneta Antiochiæ, officina quinta*, Conſtantini M.

ANT. S. Arcadii, quintam: ubi S pro ϛ, ut alibi. In
nummis Tiberii, & Mauricii, THEVP. ϛ. (alicubi men- 129.
doſe TUCUPS. pro THЄUP. S.) hoc eſt, Θεȣπόλει ϛ.
Theopoli, officina ſexta. Theopoleos nomen Antiochiæ inditum a Juſtiniano eſſe nemo eruditus ignorat. Annum quo id ei nomen obtigit, Evagrius indicat, libro IV. hiſt. Eccl. cap. VI. nempe Juſtiniani ſecundum: æræ vulgaris, DXXVIII.

ANT. Z. Conſtantini nummus ſeptimam exhibet.

ANT. H. octavam, Valentiniani nummus.

ANT. X. Juſtini junioris, decimam.

Carthagine quoque fuere octo, ut minimum. S. M. K. Licinii junioris, Helenæ Juliani: item M. K. V. *moneta Carthaginienſis urbis*, Licinii: & K. A. Nigriniani, apud Mediobarbum, primam deſignat officinam. Alteram, S. M. K. B. *Sacra moneta Carthaginienſis, officina ſecunda*, in nummis Licinii junioris, Conſtantini junioris, Theodoſii. S. M. K. Γ. Flaccillæ: & M. K. V. Γ. Conſtantini Magni, tertiam: *Moneta Karthaginienſis urbis, officina tertia*. K. Δ. Conſtantini M.

Digitized by Google

& S. M. K. Δ. Licinii junioris, quartam. Quintam, KRTЄ, Mauricii : vel Conſtantii KЄ, *Carthagine, officina V*. Sextam KRTS, Heraclii Conſtantis : ubi pro ϛ poſita littera S a monetæ opifice eſt. Octavam denique Nigriniani nummus, apud Mediobarbum, K A. H.

Cyzici in Bithynia duas animadverto ſub Foca : KYZ. A. & KYZ. B.

Lugduni in Gallia ſaltem duæ fuere. A. P. L C. *officina prima percuſſam Lucduni* pecuniam ſignificat. BSLC. ſignatam Lugduni officina ſecunda : nummus uterque Juliani eſt : ut & alter inſcriptus, LVGD. OFF. S.

Nicomediæ in Bithynia, NIKO. A. Tiberii, Philippici.

Ravennæ, RA. A. & RAV. A. Heraclii, primam officinam indicant : quartam, RAV. Δ. Heraclii Conſtantis.

Siſciæ in Pannonia decem fuiſſe non immerito ſuſpicamur, quod in nummis ſeptimam vidimus. A. SISC. Valentis, Gratiani. A. SIS. Licinii junioris, Criſpi, Conſtantini junioris, Conſtantii, Conſtantis, Theodoſii junioris. B. SIS. Vetranionis. Γ. SIS. Conſtantini junioris. Є. SIS. Conſtantini M. SMSISE *Sacra moneta Siſciæ, officina quinta*, Valentiniani M. Denique SISCPZ. *Siſciæ percuſſa, officina ſeptima*, Valentis, Gratiani.

Theſſalonicæ primam denotat, TES. OB. Tiberii : THE. OB. Leonis M. & TES. A. Flaccillæ. Unde plures ibi exſtitiſſe haud inanis conjectatio eſt.

Treviris ſaltem quinque fuere, Latinis diſtinctæ litteris, & ſubinde Græcis. A. TR. Criſpi, Conſtantini junioris : vel abſque priore littera, TR. OBS. *Treviris obſignata*, in nummis Conſtantini junioris, Gratiani, Valentiniani junioris, primam deſignat officinam. Secundam, B. TR. Criſpi. TR. OB. C. Valentiniani junioris, tertiam. Quintam, PTRЄ, *Percuſſa Treviris, officina quinta*, Conſtantini M. TSE. Conſtantis : *Treviris ſignata, officina quinta* : & S. M. T. S. Є. Delmatii : *Sacra moneta Treviris ſignata, officina quinta*.

Viennæ denique in Gallia Narbonenſi fuiſſe pariter plures indicat ille Mauricii Imp. nummus, cujus in averſa parte legimus, (nam hos omnes, ne dubites, nummos contrecta-

vimus, præter eos, quos ex Mediobarbo, Occone, Strada, citamus:) VIENNA. DE. OFFICINA. LAV. RENTI.

Græcarum itaque civitatum, in quas deductæ coloniæ eſſent, (de Latinis enim poſtea viderimus) in eadem Moneta, diverſis licet officinis, pecunia altera Græce fuit inſcripta, ſine coloniæ mentione; Latine altera, cum coloniæ nomine. Hæc poſterior moneta etiam in Urbe admittebatur: prioris uſus in provinciis tantum fuit. Græcæ porro nonnullæ civitates, cum in eorum agros deducti coloni non eſſent, coloniæ tamen prærogativa ac titulo ſunt cohoneſtatæ: ſed Græce ſemper nummos inſcripſere. Talis in Syria Antiochia, quæ a Caracalla id nomen ac jus impetravit. *Divus Antoninus*, inquit Paulus J C. libro L. Digeſt. tit. XV. de cenſibus, *Antiochenſes colonos fecit, ſaluis tributis*. Colonos fecit, colonos eo non deduxit. Laodicea ſimiliter in Syria Cœle. In Meſopotamia, Amida, Carrhæ, Edeſſa. Principes vero, quantumvis ad eorum arbitrium omnia fierent, tamen plerumque ſtudiorum populi, ac Senatus auctoritatis habere ſe rationem videri voluere. Quare cum coloniis iſtius generis jus impertirent conflandæ monetæ, & reſcriptum illi ſuum ſub ſacroſancto Tribuniciæ poteſtatis nomine, quo ſe ſummum eſſe populi plebiſque Romanæ magiſtratum profitebantur, teſtatum in nummis eſſe voluere: deinde & Senatuſconſulti adjici mentionem. Quæ cauſa eſt quamobrem vel eæ litteræ Δ. E. ſummam horum nummorum aream im- 11.
pleant, vel duæ illæ voces ΘΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥCΙΑC in 12.
ambitu deſcriptæ ſint, tanquam potiore ac nobiliore loco: inferiorem modo areæ partem litteræ illæ obtineant, quæ Senatuſconſultum denotant. Sic enim fit, ut tametſi ratio ac vetus ordo poſtulet, uti Senatus Populuſque Romanus dicatur: nunc ratione mutata Tribunicia poteſtas, qui populi magiſtratus eſt, quoniam tranſlata eſt ea poteſtas ad Auguſtos, priore loco memoretur: & in nummis etiam Auguſtarum apponi debeat: quoniam populi Romani nomine facta ea poteſtas his vocibus ſignificatur, quæ poteſtas omnis penes Imperatores fuit.

Solo interdum reſcripto Principis impetrato, nec exſpectato

Senatuſconſulto, monetam aliæ coloniæ percuſſere, ut Laodicena in Syria: cujus in nummis idcirco ſolas Δ. E. litteras reperire eſt: non quod metropolis ſecunda eſſet dumtaxat, non prima, ut tu auguraris in Elagabalo, pag. 122. Nam præterquam quod in Syria Cœle unica metropolis ea fuit, non in Syria prima, ut arbitraris: quid iſtud, quæſo, ad rem? Detractæ ſunt litteræ S. C. a nummis Laodicenſium, quæ in Antiochenſium nummis viſuntur: cur? quia Laodicea ſecunda tantum metropolis fuit. Cui non omnino hebeti talem eſſe cauſam probabilem ſuadebis?

Veram accipe. E Principibus Romanis quoſdam impotentiores fuiſſe, qui omnia ad arbitrium neglecta ſenatus poteſtate gererent, nemo neſcit. In his Severum fuiſſe pariter compertum eſt. Is Antiochenſibus ſua jura ademit, quæ in Laodicenos propria auctoritate tranſtulit. Conſtat & illud tum ex Herodiano, libro III. tum ex Spartiano in Caracalla. Nec vero adhuc ulli Antiochiæ fuerant cuſi nummi, qui Romæ admitti poſſent, cum colonia non eſſet, aut municipium civium Romanorum. At Laodicenos Severus colonos fecit, Populi Romani nomine: non exſpectato, ac ne poſtulato quidem Senatus conſenſu. Quare in nummis Laodicenis ſolummodo mentio Tribuniciæ poteſtatis occurrit. Videri moderatior Caracalla voluit, quare *Antiochenſibus jura vetuſta reſtituit*, inquit Spartianus, colonos eoſdem fecit, cudendæ pariter monetæ, quæ Romæ admitteretur, jure conceſſo, tum ſua Tribunicia poteſtate, tum Senatuſconſulto.

12. Sed moneta Urbis, MON. VRB. aliam ob cauſam appellata in Antiochenſium e Syria nummo, quem ſub Philippo ſeniore commemoras, pag. 128. nempe quoniam in Urbe, hoc eſt, Romæ figuraretur. Conceſſum illis ſingulari Principis beneficio, ut in urbana quoque Moneta, ipſorum nomine nummi formarentur: qui proinde eſſent, quantumvis Græcæ civitatis nomen præferrent, in uſu publico, ſive ut leges loquuntur, lib. IX. Cod. Theod. tit. XXIII. *Si quis pecunias*, leg. 2. in converſatione publica, perinde occidente toto, atque alii ejuſdem civitatis, quibus epigraphe Latina non eſſet, in ſuo tractu. Neque enim levis eſt allucinatio tua, qui Urbis nomine Antiochiam, non Romam, intelligi

putes poſſe. Dic, amabo, in nummis Conſtantii Chlori, & Maximiani Armentarii, apud Mediobarbum, SACRA. MONETA. VRB. AVGG. ET. CAESS. NN. item in nummo Criſpi, MONETA. VRBIS. VESTRAE. quam Urbem, niſi Romam deſignat? *Monetæ opifices intra Vrbem*, & Monetam Urbis cum audis, eandemne utrobique urbem, nempe Romam, deſignari putas? Atqui de illis Sex. Aurelius Victor, in Aureliano: *Intra urbem monetæ opifices deleti, qui cum auctore Feliciſſimo rationali nummariam notam corroſiſſent, pœnæ metu bellum fecerant.* Vidiſtin in Severi nummo, RESTITVTORI. VRBIS? Quamnam ibi putas intelligi oportere? Piget porro in re trita & pervulgata diutius immorari.

Jam coloniarum in oppida quævis deductarum moneta
omnis Latine inſcripta, cui Auguſtorum eſſent aut Cæſarum
vultus impreſſi: item municipiorum, quæ vel Imperatorum
dumtaxat, vel præterea Magiſtratuum, quos a Romanis ac-
ceperant, nomina ſimiliter Latine præferret, in Urbe pariter
admiſſa eſt. Alia quælibet, oppidorum etiam illorum, in
quæ eſſent deductæ coloniæ, aut Græce inſcripta, aut pe-
regrinis ſignata ſymbolis, propriis cujuſque civitatis, Romæ
non eſt admiſſa: ſed in uſu modo regionis ac provinciæ fuit,
ubi ſignabatur. Auguſti ac Tiberii principatu non potuit in
coloniis aut municipiis prioris generis moneta ſignari, abſ-
que reſcripto Principis: vel Populi Romani nomine, permiſſu
Proconſulis. Id quod nummi declarant trium generum. Pri-
mum ii, in quibus PERMISSV. AVGVSTI. ſcriptum
eſt, quorum aliquot inferius appellabimus. Deinde coloniæ
Patrenſis nummus, in quo MONETA ex indulgentia 13.
Auguſti IMPETRATA dicitur. Quid enim? an jus con-
flandæ in ipſa Patrenſi civitate monetæ intelligendum eſt? 14.
Minime vero: cum & ante hæc tempora, & poſt illa dein-
ceps Græce inſcripti nummi occurrant, ΠΑΤΡΩΝ, ΠΑ-
ΤΡΕΩΝ, & ΑΡΟΗ ΠΑΤΡΕΩΝ, adjecto interdum
Proconſulis nomine, ut diximus pag. 385. operis noſtri de
nummis. Sed prærogativa intelligitur monetæ cudendæ no-
mine coloniæ, quæ moneta Romæ perinde atque in provin-
cia ultro admitteretur. Poſtremo, nummi inſcripti apud te

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

ſub Tiberio, pag. 132. PERMISSV DOLABELLAE PROCOS. & Druſi nomine pag. 134. PERMISSV APRONI PROCOS III.

Poſt ea tempora, cum in nummis coloniarum ac municipiorum ea formula non occurrat, quævis moneta in toto orbe Romano Latine inſcripta, Auguſtorum aut Cæſarum vultus exhiberet, admiſſa ultro & in Urbe fuiſſe plane videtur, cujuſcumque coloniæ aut municipii foret. Donec officinæ quædam ac fabricæ monetariæ inſtitutæ certis locis, de quibus nos egimus pag. 458.

Horum cum tu nihil dicas, quæ tamen debent eſſe in confeſſo, quid juvat in iis confutandis; quæ dicis, quæque abſunt ab his & a vero longiſſime, chartam tempuſque perdere? Quæres fortaſſis a me, cur Græce eæ litteræ ſcriptæ ſint, quæ Tribuniciam poteſtatem ſignarent, non Latine, perinde atque quæ Senatuſconſultum. Breviter dicam. Primum: quoniam iis characteribus ſcribi decuit, quibus ipſum in eo nummo nomen Imperatoris ſcriberetur, cujus eſt illa auctoritas propria: eſt autem illud in omnibus Antiochenſium nummis Græce. Deinde, quod litteræ iſtæ T. P. ſimplices ac ſolitariæ aut nunquam aut vix uſurpari ſolitæ pro Tribunicia poteſtate. Denique, quæ potiſſima ratio eſt, quod non tam aperte ac perſpicue Latina vox Tribuniciæ poteſtatis, quam Græca Δημαρχικῆς ἐξουσίας, poteſtatem factam populi Romani nomine ſignificat.

Quid quod autem nonnullarum etiam coloniarum officina Romam tranſlata? Dic aliquam, inquies, ejuſmodi. Antiochenam Piſidicam: cujus nummis inſcriptæ litteræ S. R. ſub Severo, tomi tui poſterioris, pag. 2. ſub Caracalla, pag. 35. ſub Geta, pag. 76. & 77. in Elagabalo, pag. 108. ſub
15. Alexandro Severo, pag. 160. ſub Gordiano III. pag. 198. 199. 200. & 201. ſub Philippo patre, pag. 229. denique ſub Decio, pag. 276. Nam quid hæ tandem litteræ denotant? Senatum Romanum, inquis. Quanto aptius litteræ duæ, S. C. pingerentur, ut intelligeretur Senatus conſultum? Deinde quis Senatum Romanum in nummis aliquando, aut lapidibus vidit? Denique, ſi Senatus ibi Romanus accipiendus eſt, cur abeſt populi mentio, quæ in Antiochenis Syriæ

Digitized by Google

& Laodicenis, tam accurate litteris Δ E deſignatur? *Signatam Romæ* pecuniam ſcito ſignificari: atque ex eo diſce quanta tibi ſint ex tuo opere placita eradenda. Poſterior ætas ſub Conſtantino M. nunc ſcripſit P E. R. P. *Pecunia Romæ percuſſa*: nunc P. R. vel P. R O M. *Percuſſa Romæ*: nunc R. dumtaxat *Romæ*: nunc RO. P. S. *Romæ pecunia ſignata*, ſub Honorio: nunc R. S. (quod idem valet, opinor, atque S. R.) *Romæ ſignata*, in nummis Licinii & Nepotiani: in Valentis, S. M. R. P. *Sacra moneta Romæ percuſſa*: quibus formulis ſimiles fere ducentas aliorum locorum, in quibus moneta cuderetur, collegit Vir clariſſimus Du-Cangius, in opere de inferioris ævi numiſmatibus, pag. 36. 37. 38. quod opus ſi legiſſes, aut ſi auctorem conſuluiſſes, næ tu in hoc genere plurimum profeciſſes. Fuit enim ille vir cum eruditionis eximiæ, tum mirificæ humanitatis: neque doctrina magis, qua vicit omnes, quam comitate ac facilitate morum admirandus: cujus cum teſtes ſint, quotquot in hac civitate eruditi degunt: tum ego in primis, quem ille paterna, dum viveret, caritate ac benevolentia ſic complectebatur, ut menſtruis me, nam ſic urbane vocabat, ſalutationibus cohoneſtaret, optimis revera potius præceptionibus imbueret atque inſtitueret. Et nos illum viciſſim ceu parentem amantiſſimum optimumque, vivum coluimus, mortuum luximus: cujus noſtræ obſervantiæ doloriſque noſtri ſignificationem, nulla non lucubratio noſtra exhibebit, dum tanti viri imago, qualem hauſimus oculis, cum ille nos in extremo ſpiritu amplexaretur, animis obverſabitur: hoc eſt, dum vita ſuperſtes erit. Sed ad te redeamus.

Hic tu autem haud dubie, cum neque ſis tardi in divinando ingenii, neque naris obeſæ, ubi Moneta Urbis quæ fuerit, a nobis didiceris, ſtatim ſubodorabere latere aliquid ſimile in voce CON. KΩN. CONOB. KONOB. & COMOB. quæ in multis ex omni metallo nummis Imperatorum Orientis & Occidentis, immo etiam & in aureis aliquibus primæ ſtirpis Francorum regum nummis occurrit. Et noſtram tu forte jamdudum conjectationem felici Minerva antevertiſti. Dic igitur, ſi potes, quamobrem eæ litteræ, CONOB. & COMOB. quæ a temporibus Conſtantini

M. viſuntur in nummis, quarum hæc interpretatio eſt, communi eruditorum ſuffragio recepta, & iis quæ paulo ante diximus de Monetariorum C P. decem officinis, haud mediocriter confirmata, *Conſtantinopoli obſignata*, *Conſtantinopoli moneta obſignata*: Latinitate tunc ſcilicet rudiore: ut TROB. & TROBS. in nummis Conſtantini junioris obſignatam Treviris manifeſte ſignificat: quamobrem illæ, inquam, litteræ etiam in Honorii, Attali, Conſtantini tyranni, Jovini, Joannis, Petronii Maximi, Aviti, Majoriani, Libii Severi, Anthimii, (ſic enim in nummis noſtris nomen iſtud ſcribitur:) Glycerii, Nepotis, Romuli Auguſti, nummis ſint inſculptæ, quos nummos conſtat in occidente formatos? Cur in ea quoque aurea moneta viſuntur, quæ Childrici & Chlotarii regum noſtrorum nomina conjunctim repræſentat? cur in aureis pariter Theodeberti nummis? Rem paucis, ne forte hæreas, indicabo.

Francorum, Burgundionum, & Gothorum reges, qui Gallias, Hiſpanias, Italiamque tenuere, militare ſe pro rei publicæ incolumitate: ac ſub Imperatoris Romani auſpiciis, qui Conſtantinopoli degeret, hos ſe tractus regere profitebantur. Itaque cum gentis quiſque ſuæ rex eſſet, rectorem ſe regionis, quam ſub ditione haberet, appellabat. Quemadmodum in Oriente, Aureliani principatu, Vabalathus Odenati Palmyrenorum principis nepos pro Cæſare imperitavit,
130. ut nummus ejus declarat, VABALATHVS VC R IMOR. Quas litteras ante quadriennium interpretati ſumus, *Vice Cæſaris Rector Imperii Orientis.* Nam & ab Avito Vienneſi, epiſtola LXXXIV. Theodericus rex Gothorum RECTOR ITALIÆ nuncupatur: & ab Evagrio, libro IV. hiſt. Eccleſ. cap. XIX. idem adminiſtraſſe imperium occidentale in Italia, & occidentalibus copiis præpoſitus dicitur, ut poſt Theodahatum Vitiges.

Quin etiam iidem imperatoriæ aulæ ſe Proceres dicere, ſive Comites, nonnulli etiam imperatoris famulos ac milites, haud dedignati. Sigiſmundi certe Burgundionum regis ad Anaſtaſium Imp. hæc oratio eſt, epiſtola LXIX. ab eodem Avito Vienneſi dictata, nec ulla rerum neceſſitate expreſſa, ſed ſolo officio, ac ſola conſuetudine. *Si devotionem noſtram,*

qua

qua vobis animo militamus, etiam corporaliter præſentari obex temporum regionumque non patitur: quod tamen habemus in votis, exſerere tentamus officiis. Credimus enim toties coram ſacris gloriæ veſtræ obtutibus intromitti, quoties ſolicitudinis debitum ſtudio paginæ famulantis offerimus. Nam licet mundum latere nequeat veſtra proſperitas, & orbem ſuum radiis perſpicuæ claritatis illuſtret: dulce tamen eſt, ſi hi, quos militiæ faſcibus, & peculiaris gratiæ pietate ſuſtollitis, quos in extremis terrarum partibus aulæ pollentis contubernio, & veneranda Romani nominis participatione ditatis, ſpecialiter gaudia veſtræ perennitatis agnoſcant, quæ generaliter cunctis fama concelebrat. Ornat quippe imperii veſtri amplitudinem longinquitas ſubjectorum, & diffuſionem reipublicæ veſtræ adſerit quod remotius poſſidemur. Rurſumque in epiſtola LXXXIII. *Glorioſiſſimo principi noſtro, qui corpore abſumus, animo præſentamur. Et quanquam iſtud famula veſtra proſapia mea ex devotione perſolverit, me tamen gratiæ debitorem, non magis parentalia debita, quam beneficia mihi impenſa fecerunt. Veſter quidem eſt populus meus: ſed me plus ſervire vobis, quam illi præeſſe delectat. Traxit iſtud a proavis generis mei apud vos deceſſoreſque veſtros ſemper animo Romana devotio, ut illa nobis magis claritas putaretur, quam veſtra per militiæ titulos porrigeret celſitudo: cunctiſque auctoribus meis ſemper magis ambitum eſt quod a principibus ſumerent, quam quod a patribus attuliſſent. Cumque gentem noſtram videamur regere, non aliud nos quam milites veſtros credimus ordinari.* Denique, epiſtola LXXXIV. *Igitur poſt obitum devotiſſimi fideliſſimique patris mei, Proceris veſtri*, &c.

Eam ob rem his regibus & patriciatus & conſulatus codicillos atque inſignia, alioſque titulos dignitatum, Romani Imperatores detulere. Unde & Theodericum regem Gothorum, *Magiſtrum præſentis militiæ*, in Chronico Marcellini Comitis, anno CCCCLXXXIII. Fauſto ſolo Cos. & alios, Magiſtros militum ſæpe appellatos legimus. Patriciatum Sigiſmundo Burgundionum regi delatum Avitus teſtatur, epiſtola VII. Theodericum eundem a Zenone patricium eſſe creatum annales alii prodidere. Ad Clodoveum quoque regem Francorum, poſt victoriam Gothicam, codicillos de conſulatu ab Anaſtaſio Imp. miſſos refert Gregorius Turonenſis, libro II. cap. XXXVIII. Itaque conſulatus ille munia

Digitized by Google

obiit, cum in urbe Turonenſi eſſet. Nam *adſcenſo equo, aurum argentumque ..... præſentibus populis manu propria ſparſit, voluntate benigniſſima erogavit, & ab ea die* TANQVAM CONSVL ET AVGVSTVS *eſt vocitatus.*

Hinc & Juſtinianus Imp. paſſim ſe Gothicum, Francicumque inſcribit: & ante ipſum Anaſtaſius Aug. in litteris ad Senatum Urbis Romæ miſſis, Petro V. C. Cos. *Francicum inclytum* ſe appellat: qua cum gente non bellum ei, ſed amicitia fuit: ut ex conſulatu apparet, quem Clodoveo detulit. Cur ergo hæc uterque ſibi nomina adſerit? Quod haberet utique harum gentium reges ſub ſe militantes, id quod perhonorificum Auguſtis fuit. Inepta eſt enim, & a vero prorſus abhorrens Agathiæ conjectatio, libro 1. pag. 15. Theodebertum regem Francorum, quod ægre ferret hos ſibi titulos Juſtinianum arrogare, bellum ei denuntiaſſe, ſed in procinctu diem obiiſſe.

Quin etiam centum amplius annis poſt Theodeberti obitum, imperante Conſtantino Pogonato, occidens univerſus ad imperium attinere exiſtimatus eſt, cui Græcorum Cæſar præeſſet. Quare in epiſtola ad Conſtantinum Imp. nomine ſynodorum concilio Apoſtolicæ ſedis ſubjacentium, hoc eſt, ſuburbicariarum regionum, Italiæ, Galliarum, ac Britanniarum, (nam Hiſpani defuere:) ſcripta anno DCLXXIX. epiſcopi horum tractuum, qui epiſtolæ ſubſcripſere, Imperatorem his verbis compellant. *Omnes nos exigui eccleſiarum præſules* VESTRI *chriſtiani* IMPERII *famuli, in ſeptentrionalibus vel occiduis partibus conſtituti.*

Sed quorſum tam longe divagamur? inquies. Accipe. In occidente quoque percuſſi Auguſtorum nummi, vel tyrannorum etiam, qui pro Imperatoribus & Auguſtis ſe gererent, has habent inſculptas litteras, CONOB. Quid ita? Ut & ſe conſortes imperii, pariſque cum Imperatore CP. dignitatis ac ſortis, conſenſioniſque cum illo, hac nota populis facerent fidem: & ſuo idcirco nomine pecuniam ſignatam in uſu quoque orientis eſſe orientales ipſi ex iis notis agnoſcerent, perinde ac ſi Conſtantinopoli conflata eſſet. Nam ex quo Byzantium Conſtantinus ſedem imperii tranſtulit, urbs illa deinceps orbis Romani caput exiſtimata eſt:

Digitized by Google

Sceptrorum columen, imperii genitrix, ut a Sidonio Apollinari nuncupatur, Carm. 2. Quin etiam in Occidente ordinati Cæſares voluntate Imperatoris C P. ut de Majoriano Aug. refert Marcellinus Comes, Sidonius de Anthemio, aliique de aliis. Quam ob cauſam hujus regiæ urbis nomen præferre monetam oportuit, quæ in totius orbis Romani uſu foret. Has ergo notas Occidentales Auguſti in moneta Palatina, hoc eſt, in ea quæ in Palatio cudebatur, tanquam Auguſtæ poteſtatis conſortiique in imperio teſſeram, inſculpi ſtatim curavere, C O N O B. vel C O M O B.

Iſtud in occidente primus ex omnibus uſurpavit, nec vero quiſquam potuit ante ipſum, Conſtantinus junior, Conſtantini M. F. In nummo ſcilicet Arelatenſis fabricæ, quam hæ litteræ A. R. in media nummi area poſitæ indicant: nempe ubi tunc comitatus, ſive aula fuit: legere eſt K O N O B. Sic poſtea Valentinianus M. in moneta Ravennæ percuſſa, quod litteræ R. V. docent, C O N O B. adjecit in imo margine, teſte Occone. Honorius in aureo nummo, C O N. in argenteo Libius Severus, C O M O B. juſſit inſculpi. Uterque in Cimelio noſtro eſt: Ravennæ cuſum eædem litteræ admonent. Ut ceteros autem omittam, quos alii indicavere, Conſtantinus tyrannus, qui ex Britannia in Gallias Honorii principatu venit, & his in poteſtatem redactis Conſulatum edidit anno C C C C I X. ut docet vetus inſcriptio, quæ Treviris exſtat, ΥΠΑΤΕΙΑ. ΟΝΩΡΙΟΥ. ΤΟ. Η. ΚΑΙ. ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟΥ. ΤΟ. Α. is, inquam, de more Auguſtorum, in nummo aureo, quem nos habemus, tum nomen ſuum inſculpi juſſit, D. N. Y S T A N ··· I N V S. PP. A V G. (Y pro C O N per notarum compendia, quales Tironi ac Senecæ adſcribuntur:) tum ex averſa parte, perturbatis, ut videtur, ſcalptoris vitio litteris, V I C T O R I A. A V G V S T O R. in infimo margine, C O N O B.

In Anthemii nummo C O R N O B. legi aiunt, monetarii fortaſſis vitio: nam & Strada, a quo hic nummus deſcribitur, & in Muſeo noſtro nummi Anthemii C O N O B. habent. Sed ſi C O R N O B. legi placet, ſententia erit, *Conſtantinopoli Romæ novæ obſignata*. Nam Roma nova, hoc eſt, Roma altera Conſtantinopolis, ut pueri norunt, appel-

Digitized by Google

lata eſt : quo ſenſu, id quod viris doctis latuit, Leo junior in nummo aureo Leo novus appellatur, hoc eſt, Leo alter: qui virtutes prioris, nempe avi ſui Leonis M. repræſentaret.
D. N. ZENO. ET. LEO. NOV. CAE.

Anthemii nummo ſimilis hac in parte nummus, ut aïunt, Euphemiæ Auguſtæ, quæ Juſtini Imp. uxor : habet enim CORMOB. *Conſtantinopoli Romæ moneta obſignata*. Sic enim appellari eam urbem ſubinde ſolitam eſſe, abſque νέας cognomine, ΚΠ'εως Ῥώμης, docent epiſtolæ in primis duæ Sergii & Pyrrhi Patriarcharum CP. in Concilio Lateranenſi, Secret. III. Sed pariter temere inſertam litteram R hoc in nummo nihilominus ſuſpicamur. Extra hos autem ceteri etiam in Occidente nummi Auguſtorum, CONOB. & COMOB. exhibent. Typi ſcilicet Palatinæ monetæ, Comitatenſiſque fabricæ, ut appellat Ammianus, libro XVIII. ubi eo verbo tranſlate utitur : typi, inquam, monetæ, quæ in Palatio Imperatorum Occidentis cuderetur, fuere hujuſmodi, a temporibus filiorum Conſtantini M. Quoniam decuit in Orientis quoque uſu eſſe Imperatorum occidentis monetam Palatinam, quam a reliquis hæ notæ ſecernerent. Quin etiam ſi conjunctiſſime cum Cæſare Orientis concordiſſimeque Occidentales imperarent, Conſtantinopoli quoque horum nominibus moneta figurabatur : qualis illa Placidii Valentiniani, H. CONOB. de qua diximus : neque illic tantum, ſed & in reliquis civitatibus : ut Conſtantini junioris, Amidæ : Antiochiæ, Honorii. Et Orientalium viciſſim nummi percuſſi in occidentalibus officinis : ut Licinii, Arelate : Lugduni, Valentis.

Communicatum autem cum Francorum regibus ab Imperatoribus CP. jus Auguſtorum fuit : quod ab illis propter proſapiæ nobilitatem, decuſque gentis, ut Gregorii Turonenſis verbo utamur, TANQVAM AVGVSTI habebantur. In Gothicorum Regum, ſive Italiæ, ſive Hiſpaniæ nummis, eædem notæ, CONOB. vel COMOB. ne ſemel quidem occurrunt : quoniam neque tanquam Auguſti habebantur : neque, quod ex eo conſectarium fuit, eorum moneta aut Conſtantinopoli, aut omnino in publico Orientis uſu fuit. Tanto ceterarum gentium reges jam tum regum

Francorum culmen excelluit, ut Gregorius M. poſtea pronuntiavit.

Nihil mirum igitur, ſi vel in nummis, quos Franci per ſe ſponte deinde conflarent, CONOB. ſubſcriberent: ut in nummo circiter annum DCLXX. conflato: qui ex una parte CHILDRICVS. REX. ex altera, CHLOTARIVS. REX. inſcribitur: vel in his, quos Conſtantinopoli cuſos, Francorum Regum nominibus, tranſmitti in Galliam Imperatores curarent. At prioris generis eſt, qui in Muſeo noſtro adſervatur, Theodeberti regis Francorum nummus aureus, Sirmondi noſtri cura comparatus, mole quidem exiguus, ſed probæ notæ, cum effigie regis ac nomine, D. N. THEODEBERTVS. C. hoc eſt, *Dominus noſter Theodebertus Comes.* 16. Comitem hoc loco, non Procerem aulæ modo, ſed Comitem rei militaris intellige, ſive Magiſtrum militum, ut monuimus. Quemadmodum Stilico Comes & Magiſter utriuſque militiæ ſub Theodoſio M. in Oriente fuit: per Galliam & Italiam Comes & Magiſter militum ſub Honorio. Sic Burgundionum rex Sigiſmundus eodem ævo Comitivam rei militaris ab Anaſtaſio obtinuit. Quare inter Aviti Viennenſis epiſtolas duæ ab Avito dictatæ fuere, nempe XLII. *ſub nomine domni C. S.* hoc eſt, *Comitis Sigiſmundi,* ad Vitalianum Senatorem: & LXXXIV. *ſub nomine domni regis C. S. ad Imperatorem Anaſtaſium.*

In parte autem nummi averſa, Victoria, ſeu Fama alata potius manu coronam præfert: in ambitu vero nummi inſcriptio eſt hujuſcemodi: VICTORIA. ACC. C. D. 17.
N. RE. Sic enim perſpicue legimus: ſic punctis autem diſtingui litteras oportere arbitrati ſumus, ut ſententia ſit, *Victoria accepta Comite Domino noſtro Rege.* Nec omnino ineleganter acceptam victoriam Fama prædicat, dum oſtentat coronam, inſigne victoriæ: nam & accipere coronam, & accipere ſpolia, aliaque hujuſmodi, Latine perbene dicimus. Imam nummi oram obtinent litteræ ſupradictæ CONOB. Hanc victoriam ſcilicet, quæcumque ea ſit, difficile eſt enim ſtatuere, Theodeberto regi & Comiti imperium acceptam refert.

At Conſtantinopoli fortaſſis eodem tempore illi percuſſi,

Digitized by Google

quos affert D. de Bouteroüe, pag. 130. in quibus Theodebertus galeatus haſtatuſque pingitur, cum epigraphe, D. N. THEODEBERTVS. VICTOR. Ex parte altera, inſcriptio, ut quidem conjicimus, noſtræ haud abſimilis: ſed ibi ab ipſo vitioſe deſcribitur. Nunc ad id revertamur, unde digreſſa oratio eſt.

ANTIOCHIÆ Piſidicæ nummum a nobis recte, perperam a te lectum eſſe & explicatum.

SED de hac ipſa Antiochia Piſidica, cui nos primi omnium amplius nummos duodecim vindicavimus, quos Syriacæ omnis Antiquariorum cœtus adjudicarat, tu mira quædam narras, quæ te quidem amplexum eo conſilio apparet, ne facere nobiſcum uſquequaque viderere. Sunt quæ dicis hujuſmodi, pag. 240. in nummo Antonini Pii: COL. CAES.
18. ANTIOCH. MENSIS. *Figura ſtolata ſtans, creſcente Lunæ dorſo impoſito, ad pedes gallus gallinaceus, Deus Lunus eſt, cujus nomen* MENSIS *in nummo ſcriptum legitur, ut ſubolevit Patinus: pro quo legit Harduinus uno verbo* ANTIOCHENSIS, *pro* ANTIOCH. MENSIS. *Ejus Dei in hac urbe cultum memorat Strabo.* Ἦν δὲ ἐνταῦθα καὶ ἱερωσύνη τις μηνὸς Ἀσκαίου, πλῆθος ἔχουσα ἱεροδούλων καὶ χωρίων ἱερῶν. *Fuit ibi etiam ſacerdotium menſis Aſcæi, multitudinem hierodulorum habens, & ſacrorum locorum.*

Dei Luni effigiem eo nummo exhiberi, una cum gallinaceo monueram. Sub ea appellatione coli ſolitum ac deſignari ab Antiochenſibus indicaram. At ſub appellatione MENSIS ibi cultum eſſe, præſertim a Romanis colonis, aut MENSIS omnino vocem in eo nummo expreſſam fuiſſe, ſi bene eruditorum judicia novi, adhuc illi mecum concordiſſime pernegabunt.

At aït Strabo, inquis. Num tu Græce intelligis? negat enim Strabo planiſſime: adeoque non patrocinatur errori tuo, ut eum plane convellat ac labefactet. Locum Strabonis, quem tibi Patinus indicarat, iterum ſi perlegas, adverſari tibi ipſe ſenties. Ἦν δὲ ἐνταῦθα, inquit, καὶ ἱερωσύνη τινὸς μηνὸς Ἀρχαίου, πλῆθος ἔχουσα ἱεροδούλων καὶ χωρίων ἱερῶν. Κατελύθη δὲ

μετὰ τὴν Ἀμύντου τελευτὴν ὑπὸ τῶν πεμφθέντων ἐπὶ τὴν ἐκείνου κληρονομίαν. *FVIT ibi etiam ſacerdotium menſis cujuſdam Arcæi, multitudinem hierodulorum habens, & ſacrorum locorum : ſed EVERSVM EST a morte Amyntæ, ab iis qui in hereditatem ejus miſſi fuerunt :* hoc eſt, a Romanis : nam pag. 567. ejuſdem libri XII. Καθ' ἡμᾶς δὲ εἰς τρεῖς, εἶτ' εἰς δύο ἡγεμόνας, εἶτα εἰς ἕνα ἧκεν ἡ δυναστεία, εἰς Δηϊόταρον, εἶτα ἐκεῖνον διεδέξατο Ἀμύντας. νῦν δ' ἔχουσι Ῥωμαῖοι καὶ ταύτην καὶ τὴν ὑπὸ τῷ Ἀμύντᾳ γενομένην ἐπαρχίαν. *Noſtra ætate in trium, deinde duorum, tandem in unius Dejotari venit poteſtatem, cui ſucceſſit Amyntas : nunc Romani & hanc, & quæ Amyntæ fuit, tenent provinciam.* Audis igitur ex Strabone fuiſſe quidem olim Antiochiæ religionem menſis Arcæi, & ſacerdotium numeroſum : ejus autem ætate abolitum collegium illud peculiare ſacerdotum menſis Arcæi, & everſum a Romanis ? Cur ergo Romani coloni illud in nummis adhuc Antonini Pii principatu commemorent ? Cur in iſto ſolo, non in aliis etiam M. Aurelii, Severi, aliorumque ? Quid quod in nummo exprimi ſi quo jure potuit, debuit multo verius ſub Arcæi nomine exprimi, quam ſub illa communi MENSIS appellatione ? Neque enim hanc numen illud Antiochiæ habuit, ſed alio quodam loco ei cognomine : quem idem Strabo, pag. 557. ab Antiochenſi fano oppidoque procul dirimit. Τό, τε τοῦ Μηνὸς, inquit, ἐν τῷ ὁμωνύμῳ τόπῳ, καὶ τὸ τοῦ Ἀρκαίου τὸ πρὸς τῇ Ἀντιοχείᾳ τῇ πρὸς Πισιδίαν. Collegium igitur ſacerdotum Dei Luni fuerit Antiochiæ ſane : ſub μηνὸς appellatione non fuit : ſub Arcæi nomine fuit, ſed idem everſum a Romanis jam a Strabonis & Auguſti temporibus.

Collegium quodnam intelligam, rogas ? Quale Antiochiæ in Syria fuit, ut docuimus pag. 51. operis noſtri de nummis : cujus collegii nomine ſic nummus inſcriptus : ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑC. ΑΡΧΙΕΡΕΙ. Ex parte altera, ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ. ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. Eo autem in nummo, præter ea quæ indicavimus, unum ſubnotari obiter operæ pretium fuerit, quo tuas de urbibus Græcis commentationes locupletare poſſis. Tanti eſt mihi ut redeam tecum in gratiam, vel alieno ſi quid occurrat loco, docere te quod neſcias. Diſce ergo ex eo nummo, C pro Σ uſurpari ſolitum ſubinde

Digitized by Google

jam Auguſti ævo: vetere forma pingendi *σίγμα* per Σ paulatim jam evaneſcente, quæ Domitiani principatu plane ſublata eſt. Unde apud Martialem, libro XIV. Epigram. LXXXVII. *Lunata ſcriptum teſtudine ſigma*, pro lecto tricliniari, lunæ falcatæ effigie. Quo ſpectavit idem iterum, libro X. Epigram. LXVIII. *Septem ſigma capit.* Quanquam Galbæ ætate vetus forma ejus litteræ in nummo Muſei noſtri ſervatur adhuc, ΛΟΥΚ ΛΙΒ. ΣΟΥΛ.... *Lucius Livius Sulpicius Galba:* quo de utroque Lucii Liviique nomine a Galba uſurpato, teſtis Suetonius, cap. IV. Sed hæc obiter, unde proficias, ſuggerimus.

Ad lineas rurſum: ad nummum revertamur, in quo legendum, COL. CAES. ANTIOCHENSIS contendimus: tametſi in nummo, ubi extimum areæ marginem hæ voces obtinent, diviſa, ut fit, voce ANTIOCH ENSIS in duas partes, quoniam pars una ejus vocabuli dextrum Dei Luni latus obſidet, lævum altera, inſerta videri a ſcalptore potuit ad pedes galli gallinacei littera M. haud dubie exterenda. Cur? tum ob allatas antea rationes, tum quod in Antiochiæ Piſidicæ nummis, qui ſunt omnes affabre admodum & exquiſita arte conflati, (quippe omnes Romæ conflati, ut arbitramur,) ſi MENSIS ſcribi debuit, certe non eo ſitu ſcriberetur, quo nunc eſt, hoc eſt, ad latus, ac permixte confuſeque cum ceteris vocibus: ſed in imo nummi margine ſejunctim a reliquis: quod noſtri dicunt, *dans l'Exergue.*

At legi ANTIOCH. MENSIS oportere ſubolevit Patinus. Superi! Subolevit Patinus? Suboluiſſe Patino dicere voluiſti, nec potuiſti tamen ſine duplici ſolœciſmo, in quem fœde impegiſti. Adeo non ſubolevit iſtud autem Patino, ut peritiorum judicio arbitrioque permiſerit, num eſſet ea littera M eradenda, atque ita facto opus ſibi videri haud obſcure ſignificarit. *Diſſimulandum non eſt*, inquit, *in hoc alioquin integerrimo nummo abundare litteram M. Sic enim ſcriptum eſt,* COL. CAES. ANTIOCHMENSIS: *qui fortaſſis error ſcalptoris eſt. Fortaſſis enim Dei Luni nomen ſignificat: cum enim Luna a Græcis dicatur Σελήνη, Strabo qui Luni mentionem fecit, non σελήνη nomine, ſed* MENIS *uſus eſt, quod quodam-modo*

modo inſcriptioni congruit. Videat lector num M *aut* S *ex utraque ſuſpicione redundans ad certius quid poſſit revocari.* Barbara & hæc oratio eſt: ſed tamen ſuſpicio non ſpernenda. Nos igitur, quod ſimilius veri fuit, expungendam M litteram cenſuimus, legendumque ANTIOCHENSIS, ut legere alibi eſt pag. 214. nomen integrum CAESARENSIS, & pag. 246. DIENSIS, & in alio ejuſdem hujus Antiochiæ nummo, GENIO. ANTIOCHENSI. Fore hanc litteram demum, ſi quis obſtinate retinendam defendat, ſaltem ejus generis, cujus eſſe videtur & in vocibus NEPTVMNVS ac NEPTVMNALIA apud Gruterum pag. CCCCLX, 3. & in vocabulo Μομψυεςίας, apud Antiochum Monachum S. Sabæ, homilia CXXX. pro Μοψυεςίας: & apud Heſychium κάμψα, quæ vox capſam ſignificat: hoc eſt, ſupervacuam, nec ullius roboris aut uſus. At tu a nobis ſtare ne viderere, quod deterius fuit, & abhorrens ab omni ſimilitudine veri, avidiſſime arripuiſti. Patere te nunc demum dedoceri.

ASTURICÆ adſcriptum a te nummum fuiſſe, qui eſt coloniæ Aſtigitanæ.

DE nummo Auguſti, qui ſic inſcriptus a te commemoratur, pag. 14. COL. AST. AVGVSTA. in quo 19. colonus boves agit, timidior aliquanto & cautior primum quidem videris: at obices tandem audaciore ſaltu tranſilis. Nam cum præfatus eſſes, *an nummus ad Aſtam, vel ad Aſtigitanam, utramque Bæticæ provinciæ coloniam, an vero ad Aſturicam Hiſpaniæ Tarraconenſis revocandus ſit, inquirendum.* Subjungis paulo mox, *Aſturicæ tribuendum credimus.* Quam quidem urbem magnificam Plinius appellat, Auguſtanorum Aſturum metropolim, unde ei Auguſtæ factum nomen eſt, ut monueramus, pag. 81. quod ſi advertiſti, ſubnotari a te oportuit. Sed Aſturicam, amabo, quis coloniam nuncupavit, præter Goltzium unum? cujus cum lubrica fides te ipſo ita prodente ſit: cum neque in alio, ut apparet, quam in iſto ipſo nummo, quem perperam legit, coloniam Aſturicam viderit: qua auctoritate Aſturicam coloniam deduxiſti?

Rogas tu viciſſim, cur Firmæ cognomen in eo nummo,

ſi Aſtigitanæ convenit, omittatur. Nam a Plinio quidem, ut monuimus, libro III. ſect. III. *Aſtigitana colonia, cognomine Auguſta Firma* appellatur, hodie *Ecija*, inter Hiſpalim & Cordubam: & apud Gruterum, pag. 101. COL. AVG. FIRM. Sed potuit Firmæ nihilominus appellatio negligi: quod ex iis coloniis, quarum initiales litteræ ſimiles eſſent in Hiſpania, AST. ſola Aſtigitana Auguſta diceretur: atque adeo internoſci facile poſſet tum ab Aſturica, quæ colonia non eſſet: tum ab Aſta, quæ non Auguſtæ, ſed Regiæ, Plinio ita docente, aliiſque, nomen obtinuit.

B

BABBA cur Julia ſit appellata, cur item aliæ coloniæ eo nomine donatæ ſint, haud ſatis probabilem a te allatam eſſe rationem.

20. INter Claudii nummos hunc profers, pag. 155. C. C. I. B. D. D. hoc eſt, ut dudum antea explicuimus, tum in notis ad Plinium, tum libro de Nummis, pag. 86. *Colonia Campeſtris Iulia Babba, Decreto Decurionum*: a Plinio admoniti, libro V. ſect. I. *Auguſti*, inquit, *colonia Babba, Iulia Campeſtris appellata*, in Mauretania Tingitana. Eſt in averſa nummi area tauri natantis expreſſa effigies: ubi tu fabularum ſolers ſubinde inveſtigator ac narrator, de Jove in taurum transformato & Europa refers ea, quæ ſunt lippis nota tonſoribuſque, ſed quæ alieniore loco referri non poſſint: cum nihil aliud ea effigies, quam ſitum urbis indicet: in mediterraneo poſitæ quidem, ut Plinius admonet, ſed quam amnis Guarga, ut nunc vocant, præterfluat. Quam belle enim utrumque tauro natante exprimitur? tauro quidem, ea quæ in mediterraneo ſunt pecorum paſcua, & armenta: fluminis vicinia, ejuſdem natatu ſignatur. Par tua felicitas in altero ejuſdem oppidi nummo, quem Neroni dicatum profers pag. 167. Nam Æſculapii ibi depictum caput arbitraris, cum Jovis ſit: adjectuſque ſerpens non Æſculapium, ſed Africam denotet, ut monuimus.

Digitized by Google

Verum hæc levia: aliquanto gravioris momenti eſt, unde Juliæ appellatio, qua Babba gloriatur, ſit repetenda, noſſe. De qua re ſic pronuntias univerſim, pag. 68. *Conſtat urbes aliqua immunitate, ſeu coloniæ titulo a Iulio Cæſare donatas, Iuliæ nomen prætuliſſe: Ab Auguſto autem deductas SOLO Auguſtæ nomine inſignitas: ſed quæ denique Iuliæ Auguſtæ ſimul nominantur, a Iulio primum conſtitutæ ſunt, deinde ab Auguſto novis civibus frequentatæ.* Apud quos autem id conſtare putas? nam id eruditos quidem negare oportet. Dic, amabo, Julia Conſtantia Zilis cujus colonia eſt? Auguſti ſane, ſi Plinium audis, ſub initium libri quinti. *Colonia Auguſti*, inquit, *Iulia Conſtantia Zilis, regum ditioni exempta.* Et Juliæ tamen illa ſolum nomen habet. Hæc ipſa Babba, in qua nunc ſumus, quam ibibem ille *alteram Auguſti coloniam* vocat, an Auguſtæ nomen ullo præfert in nummo? plane nullo: ſi ſuſpectum Goltzii nummum exceperis, cujus olim meminimus: ubique C. I. B. tantum inſcribitur, *Campeſtris Iulia Babba.* Sint hæc inſtar ſexcentorum exempla duo: quibus non ob Julii unius, ſed ob gentis Juliæ memoriam id aſcitum a colonis, etiam ſub Auguſto, expetitumque nomen eſſe liqueat.

Quare ne cuncteris viro doctiſſimo Noriſio aſſentiri: hæres enim dubius pag. 125. quem æquare: ſed ne cuncteris jam confiteri Uticenſe municipium id quoque nomen Auguſti principatu ſibi tum vindicaſſe, cum Auguſtus, ut Dio tradidit, Uticenſibus civitatem dedit. Illud ergo nomen, id quod vobis ambobus ex æquo latuit, in honorem Juliæ gentis adſcivit. De Auguſtæ vero appellatione, dic ſodes, quid Corinthus Auguſto debeat, quoniam Neronis ævo Auguſta cœpta eſt appellari? neque enim ante eam ætatem id nomen occurrit in nummis. Quid Auguſto Cæſarea Palæſtinæ debet, quæ Auguſta cognominata eſt, cum ſit a Veſpaſiano deducta? Hos nodos, ſi potes, expedi: nos ad alia interim properamus.

Digitized by Google

BERYTENSEM nummum nec probe inſpectum a te fuiſſe, & eundem præpoſtere explicatum.

21. TRAJANI nomine nummus inſcribitur, pag. 213. IMP. CAES. NER. TRAIANO. OP. AVG. GER. DAC. cujus in averſa parte, COL. IVL. AVG. FEL. BER. hoc eſt, *colonia Iulia Auguſta Felix Berytus*, uti ex Plinio monuimus, pag. 90. ubi & Auguſtanam coloniam ab Hadriano appellatam eſſe, indicavimus item ex Ulpiano. At in eo nummo depictam aïs turritam mulierem ac *ſeminudam*, Aſtarten Deam videlicet: cui icuncula columellæ impoſita, ſive Cupidinis, ſive Victoriæ, nam & hic incertus ac ſuſpenſus hæres, coronam imponat. Adjice, mihi crede, iterum oculos: dioptram & ſpecular admove: intelliges depictum ibi virum, non feminam: id quod ſeminudi corporis habitus, ſubligaculumque quo virilia ſolum obvelantur, debuit admonere: Serapidis effigiem eſſe, non Aſtartes; nec turritum caput eſſe, ſed calatho impoſito, qua forma pingi Serapis ſolet, onuſtum: denique non Cupidinem, ſed Victoriam, quæ Serapidi, vel Trajano potius ipſi ſub Serapidis effigie depicto, coronam porrigat. Quanquam de Trajano quod excidit, forte ampliandum. Quin nobis fidem habebas, qui in Berytenſium nummis Valeriano principe conflatis, pag. 90. Serapidem eſſe inſculptum monuimus? Non te hæc fabula nuuc irretitum teneret.

BILBILIS nummo cur vox hæc altera, ITALICA, adjecta ſit, alieniorem, quam quæ eſt a te allata, cauſam afferri non potuiſſe.

22. AUGUSTI vultum ex altera parte nummus exhibet, cum voce BILBILIS: ex altera equitem cum haſta de-
23. currentem, adjecta voce ITALICA. Nec ſine cauſa ſuſpicabar olim hunc Bilbili conflatum: addito fortaſſis alterius civitatis, Italicæ ſcilicet, nomine, quicum ei ſocietas eſſet: quam ſocietatem atque concordiam Græci paſſim in nummis

ſuis atque marmoribus ΟΜΟΝΟΙΑΝ appellant: Videri aliter aliis interim ſubmonui, quibus Italicam Bilbilim cognominari eo nummo placuit. Horum in ſententiam concedere dum tu videri cupis, ut a nobis diſſentias, quam præclaram cauſam affers judicii tui? *Bilbilis municipium ſine ſuffragio*, inquis, pag. 17. *ab Auguſto jus Italicum habuiſſe videtur: unde Italica & Auguſta in nummis vocata eſt.* Ob conceſſam juris Italici prærogativam Italica ſi Bilbilis dicta eſt, cum fuerint, teſte Plinio, in Bætica, quam ipſe rexit, oppida eo jure donata novem ac viginti, octodecim in citeriore Hiſpania, ſolane Bilbilis ex omnibus Hiſpaniæ civitatibus eo jure debuit gloriari in nummis? An vero gloriari ea re tantopere debuit, cum e tergemino jure, quo cohoneſtari oppida potuere, coloniarum ſcilicet, Latii novi ſeu civium Romanorum, & Latii veteris ſive Italici, iſtud poſtremum atque infimum ſit?

Non eſt, mihi crede, non eſt Bilbilitanæ civitatis cognomen ITALICA. Bilbili quidem cuſum eſſe nummum illum docuimus pag. 94. & ad Bilbilim, non ad Italicam, ut tu pag. 114. falſo accuſas, retulimus: & recte profecto: quoniam primariam nummi aream & Auguſti effigies & Bilbilis ſimul nomen occupat.

Quid ergo vox ea ſibi vult, ITALICA? Accipe: coloniis videlicet ac municipiis, ſi neſcis, datum eſt jus legionis: uti ex Feſto liquet in primis, verbo *Municipes:* hoc eſt, ut in legione Romana pariter ac cives Romani, non in auxiliis, ut ſocii, ſtipendia mererent. Idcirco nomina legionum, in quibus ſtipendia coloni municipeſve facerent, Hiſpanienſibus nummis inſculpta: Bilbilitanorum quidem, Italicæ, quo nomine fuere legiones quatuor, prima, ſecunda, tertia, quarta, ut ex variis apud Gruterum inſcriptionibus liquet: & in Apoſtolorum Actis, *Cornelius Centurio cohortis quæ dicitur Italica*, cui non notus? In aliqua igitur ejus nominis legione vel cohorte equis feciſſe ſtipendia Bilbilitanos admonet eques in ea nummi parte inſculptus, cui vox ea addita, ITALICA, eſt. Quid planius? Non eam ob cauſam Martialis de patria ſua ceciniſſe hoc carmen videtur? libro I. Epigr. L.

Videbis altam, Liciniane, Bilbilim,
Equis & armis nobilem.

Hinc & Victrix Oſca, Norba, Tarraco, nuncupata videtur. Neque enim eſt in hiſce nummis, ſimilibuſve, ſculptus eques, quod regio equis abundat, vel quod eſt gens bellicoſa: ut aïs in Oſcenſium nummis præſertim, ſub Auguſto, pag. 56. & in Segobrigenſibus, pag. 64. Sed ut argumento ſit, municipes potuiſſe equis in legione ſtipendia facere: ſive in Italica I. II. III. & IV. ſive in Victrice VI. XX. & XXII. Et in Narbonenſi Gallia, Arauſio dicta colonia Secundanorum, Arelate Sextanorum, Beterræ Septimanorum, Forum Julii Octavanorum, Narbo Decumanorum: quod in ſui nominis ac numeri legione mereri ſtipendia ſcripti ex illis coloniis milites, cum evocarentur ad militiam, oporteret. In Thracia Deulton veteranorum colonia appellatur: quod ex ea deſcripti ad bellum cives, non cum tironibus, ſed cum veteranis militiam agerent: id quod in Gordiano, pag. 214. non intellexiſti. Veteranorum enim appellari coloniam aliquam ſingularem, mirum tibi viſum eſt & inextricabile, eo quod nuſquam deducti alii præter veteranos. In Notitia Imperii, quos arbitraris Equites quinto-Dalmatas, ſexto-Dalmatas, octavo-Dalmatas, nono-Dalmatas appellari? quos putas in inſcriptione vetere, quam legere me alicubi memini, Dalmatas Septimanorum vocari? An e quinta, ſeptima, aliave legione in Dalmatiam tranſmiſſos? Næ tu vehementer errabis, ita ſi ſentias. Sic enim habeto, legionem deſignari quintam, ſextam, aliamve, quæ ſit collecta e Dalmatis. Sic Beterræ Septimanorum vocitatæ, quod qui ex ea civitate conſcriberentur milites, mererent in ſeptima legione ſtipendium. Septimaniam enimvero ex eo qui nuncupatam exiſtimet, nemo jam eſt inter eruditos. Alia ejus appellationis cauſa, longeque poſt coloniam eo deductam orta ac nata eſt.

Habes hic aliquid quod opponas? Aut minuſve hæc tibi vera videbuntur, eo ſolum nomine, quod tibi minime ea ſuboluere?

Digitized by Google

BOSTRAM a nobis recte Novam Trajanam, a te male Nerviam Trajanam appellatam eſſe.

NOBIS etiam dicam grandem impingis, quod nummum Commodi principatu conflatum, inſcriptumque, NE. TP. BOCTPA. interpretati ſumus, Νέα Τϱαϊανὴ Βόστρα, & in Alexandro Severo, N. TR. *Nova Trajana.* Adimis deinde eorum, qui pariter nobiſcum ſenſere, patrocinium, Holſtenii ac Triſtani: quippe omnes tanquam ex tripode pronuntias turpi errore deluſos: Nerviam Trajanam dici oportere. Ego vero faxim ut intelligas, ſi ea rurſus quæ iſti de hac re prodidere, legeris, contuleriſque cum noſtris, ne cauſas quidem ita interpretandi, nedum errorem, ab iis nos hauſiſſe, ut prædicas.

Nervæ prænomen adſciviſſe ſibi Trajanum quis ignorat? Nervium nihilominus dictum a Nerva quidquam, aut a Nerva Trajano Nervium Trajanum, ubi reperiſti? Ulpiam hic de ſuo nomine legionem, aliam de cognomine Trajanam ſimiliter, Trajanamque coloniam appellavit: Nervium plane nihil. Ulpiam Trajanam potius diceret, quo nomine in Dacia colonia fuit, quam in antiquis marmoribus DIVI NERVAE TRAIANI AVSPICIIS conditam, & VLPIAM tamen TRAIANAM dici monuimus, pag. 518. Gratulare in ſinu tibi de hoc præclaro tuo invento: nemini ante te hæc res in mentem incidit: nemo tam ſolertis ad excogitandum ingenii laudem invidebit. Quæ enimvero te ars edocuit, a Nerva Nervium deduci? An a Numa Numium, a Sylla Syllium, Cinnium a Cinna, Agrippium ab Agrippa, a Seneca Senecium, a Sura Surium, a Mela Melium, Naſicium a Naſica, a Dolabella, ut mittam cetera, Dolabellium deduceres? Diceres ſaltem Nervianum, ut a Dolabella Plinius noſter Dolabelliana pira cognominata commemorat.

Quo porro ſenſu dictam a nobis eſſe Novam Trajanam putas? an quo tu Novam Carthaginem appellaſti, ut ab antiquo altero & cognomine oppido ſecernatur? minime vero: ſed quo apud Gruterum, pag. CCXXXVIII, 7. NOVA. CIVITAS. ARVCCITANA. legitur: non ut ab

altero oppido diverſa, ſed ut ſui ipſius diſſimilis: quoniam recens inſtaurata ornataque, in meliorem evecta ſit conditionem atque ſortem. Nova ergo Trajana cognominatur: quoniam, cum vicus eſſet ignobilis, caſtrum ibi Trajanus arcemve condidit, cum præſidio limitaneæ legionis. Unde a Ptolemæo libro v. cap. XVII. Βόστρα λεγίων appellatur. Legionem ſecundam autem Trajanam eſſe nuncupatam, & Trajanam Fortem, Gruterus, ſi neſcis, multis te locis edocebit: Nerviam Trajanam, ſive illam, ſive alteram, plane nemo. Jam litteram N pro *Novo* poni vetuſti lapides clamant, in quibus N. MONVM. *novum monumentum* ſignificat. Tu N. pro Nervio poni ut facias fidem, vel uno, ſi potes, exemplo comproba.

Ævo ſubſequente Boſtrena munitio aucta maximopere a Severo eſt: is enim pomeria prolatavit, muros ſtruxit, urbem ingentem condidit. Auctor Damaſcius in bibliotheca Photii, cod. CCXLII. pag. 1060. Εἰς τὰ Βόστρα τῆς Ἀραβίας, πόλιν μὲν οὐκ ἀρχαίαν, ὑπὸ γὰρ Σεβήρου τοῦ βασιλέως πολίζεται, φρούριον δὲ παλαιὸν, &c. *In Boſtra Arabiæ, civitatem quidem haud vetuſtam, a Severo enim Imperatore condita eſt, vetus autem caſtellum fuit.* Ammianus, libro XIV. pag. 21. ingens fuiſſe oppidum declarat, ubi de Arabia verba facit. *Hæc quoque*, inquit, *civitates habet inter oppida quædam ingentes, Boſtram, & Geraſam, atque Philadelphiam, murorum firmitate cautiſſimas.* At tu latina interpretis Photiani verba amplexus quam præpoſtere accepiſti? nam cum ille ſcripſerit, *ſub Severo Imp. in civitatem redacta eſt:* tu civitatis nomine jus civium Romanorum conceſſum Boſtrenis ab Alexandro Severo jubes intelligi. Qua de re non leviter caſtigandus es duplici nomine: primum, quod de Alexandro Severo, non de Severo Pertinace prodita hæc a Damaſcio arbitreris: deinde quod πολίζεσθαι neſcieris eſſe, condi, ſtrui, ædificari civitatem: non jus accipere civium Romanorum. Non ſunt hæc porro ita obvia & aperta, ut ab iis etiam, qui parum acutos ſe natos gaudent, videri poſſint?

BUTHROTI,

BUTHROTI, aliiſve in locis, Quinquennales qui fuerint, te ignoraſſe.

NUMMUS a nobis allatus fuerat, pag. 102. BVTHR. hoc eſt, Buthrotum, in Epiro. C. PAET. QVIN. ITER. Quorum verborum editam a nobis interpretationem modeſta hac oratione vellicas ac perſtringis, pag. 78. *P. Harduinus* C. PAET. QVIN. ITER. *interpretatur, C. Pætus, Quinquennalia iterum, pro Quinquennalis iterum, & frigide ad ludos quinquennales revocat.* Pax, mi Valens, nolo enim convitia regerere aut recordari. Duo reprehendis, quorum in altero lapſus typographi eſt, in altero nullus cujuſquam. Quinquennalis quin ſcribi dicique oportuerit, non inficiamur: & nos ita ſcribi quidem optavimus. Ludis quinquennalibus præfuiſſe Buthroti quinquennales adhuc ſi contendimus, quomodo refelles? Nega, ſi potes, aut in eo tractu terrarum ludos quinquennales edi ſolitos eſſe, aut penes Duumviros quinquennales procurandi curam fuiſſe. Non impoſita Duumviris ubique, ſive annuis, ſive quinquennalibus, nullo diſcrimine, edendorum ſpectaculorum provincia eſt? Id vero tum ex aliis locis, tum ex Iliberitano canone LVI. (nam ſacra nunc ſæpius nobis occurrunt, quam profana) diſce. Non alter e Duumviris quinquennalibus eam ob cauſam in Auguſti nummo, de quo mox dicturi ſumus, Flaminis habitu pictus cernitur, quod eidem eſſet & ſacrorum cura commiſſa, & ludorum, cum luſtrum conderet?

Quid eſt autem cauſæ quamobrem pag. 9. neges tu Quinquennales de magiſtratu per quinquennium gerendo, accipi oportere? *Duumviri*, inquis, *in coloniis Romanis quotannis tanquam Conſules Romæ creabantur, nec magiſtratum ultra prorogabant: quamobrem qui Duumviri quinquennales in hoc nummo perhibentur, non de magiſtratu per quinquennium gerendo intelligendi, ſed de cenſoribus omni quinquennio creatis, ob eam cauſam Quinquennalibus in colonia vocatis.* Quam multa in unum errata? Ecquis enim, qui Latine norit, quinquennales magiſtratus a quinquennio integro, ut annuos ab anni ſpatio appellatos neget? Cenſores ipſi Romæ quinquenne primis temporibus

geſſere munus: poſtea ſingulis annis aut ſexto quoque menſe creati, ab ætate Æmilii Dictatoris: nec dicti certe ex eo amplius quinquennales: quid ergo Cenſorum hic exemplum juvat ad quinquennales tuos annui imperii magiſtratus? Quod ſi quinto quoque anno tantum creati, & annui tamen fuere, quis interjecto quadriennio horum vices egit? Si cenſoriæ horum Quinquennalitiorum partes fuere, quorſum illi toties appellantur in nummis? aut, ut verbis tuis utar, pag. 40. *quid Cenſor in nummo ſignatus?* in Auguſti nempe nummo, cujus averſa area Cenſorem, ut falſo putas, exhibet, quoniam epigraphe docet eſſe Quinquennalem: cum ſit, ut dixi, Flaminis habitu Duumvir Quinquennalis, cui ſors obtige-
24. rat, ut luſtrum municipale conderet. M. POSTVM. ALBIN. L. PORC. CAPIT. IIVIR. Q. *M. Poſtumio Albino, L. Porcio Capitone, Duumviris Quinquennalibus.* Quod ſi tibi mirum videtur Cenſorem in nummo pingi ſemel, quanto admirabilius videri oportuit toties in nummis appellari Quinquennales, quos tu Cenſores putas fuiſſe?

Atqui ubi Cenſores aut ſculpi exiſtimas, aut appellari, mihi crede, Duumviri ſunt, Magiſtratuſque municipales. Hoc ſaltem loco Quinquennales qui fuerint, quod nobis latuiſſe aïs, intelliges multo nobis notius fuiſſe, quam tibi: præſertim ſi his adjicias ea, quæ de Patrenſi nummo, ex quo extricare te minime potuiſti, inferius dicturi ſumus. Nam aliud ibi præterea Quinquennalium genus ab iſto diverſum, ſed æque tibi ignotum occurret. Legem, Medice, legiſti primam de Medicis & Profeſſoribus in codice Theodoſiano? quæ jubet, *ut ſi quis eos vexaverit, centum millia nummorum ærario inferat, a Magiſtratibus vel Quinquennalibus exactus.* Monuiſſet Gothofredus Magiſtratuum nomine Duumviros municipales intelligi, quorum annalis magiſtratus eſſet: cum in aliis civitatibus, ſeu municipiis, & coloniis, iidem quinquennales forent.

De his Quinquennalibus Spartianus in Hadriano: *Fuit*, inquit, *in patria ſua*, Italica Bæticæ civitate, *Quinquennalis: & item Adriæ Quinquennalis, quaſi in alia patria.* Meminit & Apuleïus, libro x. *Gradatim permenſis honoribus Quinquennali magiſtratui fuerat deſtinatus.* Horum frequens mentio in

Digitized by Google

vetuſtis inſcriptionibus apud Gruterum. Pag. CLXVIII. M. GAVIVS. DVOVIR. QVINQ. CREPIDINES. CIRC. FORVM. S. P. F. *M. Gavius Duumvir Quinquennalis crepidines circa forum ſua pecunia fecit.* Pag. CCCCXLV, 5. C. OFILIO. DVOVIR. ITERVM. QVINQVENNALI. Hinc municipale luſtrum in antiquis monumentis, quod quinquenniis ſingulis ab altero magiſtratuum condebatur. Plura de Quinquennalibus deſiderare te jam a nobis haud arbitramur: itaque ad alia properamus.

C

Cæsaraugustanæ coloniæ, aliarumque, nummos complures inter ſe ſimiles non alio operæ pretio a te prolatos, niſi ut quamplurima errata tua, in Romanarum præſertim familiarum nominibus, proderes.

Cæsaraugustam cur amplius tricies Cæſaream Auguſtam appellas, cum e Latinis ſcriptoribus nemo unus ſic vocitet, præter Paulinum, in poëmate XII. ad Auſonium, verſus quomodocumque ſtruendi cauſa: ſed extra hunc nemo, nec ſic lapis ullus, aut nummus inſcribat? Nam ſi quando hæ voces CAESAR. AVGVSTA. in nummis puncto dirimuntur, & vitium eſſe ſcalptoris, neque illud perpetuum eſſe, noſſe te ac præmonere oportuit. Sed iſtud per ſe leve. Quo vero operæ pretio, niſi ut nummorum copiam oſtentares, vicenis omnino nummis ibidem ſub Auguſto cuſis, librum ad faſtidium tædiumque oneras, qui boves tantum aut vexilla militaria exhibent? Quæ pariter ſpes fructus atque emolumenti ex quindenis Calaguritanis ſub eodem principe, aut ex Celſæ coloniæ ſex, aut ex quaternis Turiaſonis ſub Tiberio, cum univerſi nihil niſi boves repræſentent?

At familiarum præterea nomina hi nummi exhibent ac docent: ſic enim paſſim admones. Quaſi vero id tanti ſit. Sed ſit ſane pretii alicujus: quot in his quoque & quam gravia

Digitized by Google

errata committis ? Mitto diſquiſitiones otioſas & parergas de origine nominum Romanorum, quoties Duumviri aut ædiles appellantur in nummis : ut unde Catones, unde Labeones, unde Barbati cognominati ſint, aliaque innumera ejus generis ſcruta, quiſquiliaſque. Quarum unicam commemorabo, ex qua diſcas commentationes tuas non plus æquo oſculari ac venditare. Nam quale illud eſt, quod quoniam Flaccus Duumvir appellatur in nummo Corinthiorum ſub Auguſto, pag. 46. idcirco hæc ſubjungis : *Flaccus cognomen ei datum eſt ex Plinio, cui aures tantum immobiles.* Quid ? an huic tantum vel homini vel familiæ aures ex Plinio immobiles ? Sic libro undecimo Plinius, ſect. L. *Aures homini tantum immobiles. Ab iis Flaccorum cognomina.* Quem in locum quid ſubnotaverimus ſi conſuluiſſes, non id quod eſt multis nominibus inſulſum nunc diceres : Flaccum eſſe cognominatum, cui aures ſint tantum immobiles. Sed ad familiarum nomina veniamus, ordiamurque ab iis, quæ in Cæſarauguſtanorum nummis exhibentur.

Pag. 23. C. ALLIARIO. T. VERRIO. IIVIR. De Alliaria gente apud hiſtoricos eſſe ſilentium dicis. Vide an *Alliano* legi oportuerit : nam apud Gruterum, pag. CCCCXIX, 5. C. ALLIANUS Tiburtinus occurrit.

Pag. 24. CN. DOM. AMP. C. VET. LANG.
74. II VIR. *Cneo Domitio Amplo, Caio Vettio Languido.* Lepidum iſtud Ampli cognomen, ſi potes, dic unde ſis furatus. *Ampliato* dici quanto ſatius fuit ? quod cognomen & Antonii uſurparunt, ut ex Gruteri libro conſtat, pag. DCLXVIII, 12. CN. ANTONIO. AMPLIATO. Jam tres tantum litterulas, VET. pro Vettio poſitas in nummis marmoribuſve, dic ſimiliter, ubi vidiſti ? Veturiam, mihi crede, gentem hæ notæ indicant, non Vettiam, ſeu Vectiam : quæ ſolet aut integra exprimi, aut certe prope integra, in hunc modum, VETTI.

Hæc duo præcipua ſunt, quæ ex Cæſarauguſtanis nummis ſublegimus : at in Calaguritanis duobus quam nihilo fuiſti felicior ? Pag. 33. C. MAR. CAP. Q. VRSO. IIVIR. *Caio Mario Capitone, Q. Vrſo, Duumviris.* Et mox, *Quinti prænomen a numero dictum. Vrſo ſcribit Plinius, libro* IV. *&* V.

Imo, tertio, & octavo. In tertio quidem, Urſo colonia Bæticæ eſt: in octavo, de urſorum natura agitur: videſis ex utro loco auctoritatem repetas idoneam huic familiæ illuſtrandæ. Urſi nomen eſſe viri proprium non neſciunt, qui Epiſcoporum ſubſcriptiones in Conciliis viderunt.

Pag. 33. & 34. M. PLAE. TRAN. Q. VRSO. IIVIR. ITER. *Marco Plætorio Tranquillo, Q. Urſo Duumviro iterum.* Et mox: IIVIR. ITER. *de Urſo tantum intelligendus.* Marcus ergo Plætorius Duumvir non eſt, aut eo certe nomine non deſignatur in nummo: quod nemo harum rerum peritus dixerit. Sed erras, mi homo, & parum vides: ſi quod uſus annorum xxx. te docere debuit, legendum non vides, *Duumviris iterum.* Alioqui ſi alter amborum ſolus eſſet iterum Duumvir, is præponeretur alteri, qui ſemel ac tum primum foret: ut in Cæſarauguſtanorum nummo pag. 26. Q. MAXIMO. ITER. C. VALENTINO. IIVIR. hoc eſt, *Q. Maximo iterum, Caïo Valentino, Duumviris.* Et pag. 29. MN. KANI. ITER. L. TITI. IIVIR. *Manio Kaninio iterum, Lucio Titio, Duumviris:* atque alibi paſſim: ſunt enim exempla obvia. Ævi ſcilicet prærogativa, geſtique jam honoris, ut par eſt, priorem appellari jubet, qui ſit prius magiſtratu perfunctus: quare & Plætorium Urſo præceſſiſſe in Duumviratu intellige. In nummo quidem, quem tu Novæ Carthagini perperam, ut dicemus, adſcribis, pag. 39. e Duumviris Quinquennalibus alter in primaria nummi area, quæ caput Auguſti exhibet, appellatur, P. TVRVLB. IIVIR. QVINQ. In parte averſa is, 48.
qui duumviratum ſecundo gerebat, M. POSTV. ALBI- 48.
NVS. IIVIR. QVIN. ITER. cum Auguſti templo, cujus in ſuperno limine vox hæc AVGVSTO inſcribitur. Sed cur minus inſigni loco appellatur is, quem priore, ut diximus, appellari decuit? Quod templi, ſi neſcis, cujus effigies in ea parte cernitur, ſive exſtruendi, ſive Auguſto dedicandi, ad eum, veluti digniorem, cura ſpectabat, ob prærogativam ævi & honoris.

Duos pariter coloniæ Celſæ nummos, amabo, rurſum inſpice, & obſerva: in altero, pag. 41. L. BAGGIO, an BACCIO legi oporteat, ſubdubitas. Nos BACCIO

maluẽramus: jubetque propemodum vetus inſcriptio apud Gruterum, pag. CCCCXIII, 12. Bacchiam gentem intelligi: nam ibi L. BACCHIVS. plane legas. In altero autem eadem pagina, L. COR. TERR. M. IVNIO. HISP. IIVIR. hoc eſt, te interprete, *L. Cornelio Terracina, M. Iunio Hiſpalo.* Cui interpretationi hæc ſubjicis: *Hiſpalus C. & Cn. Corn. Scipionis agnomen. Hiſpalus etiam Celtiberorum rex a Diodoro, libro* VI. *citatur.* Quot hic, patere me tecum ridere, quot hic non pharmaca, medice optime, ſed gentes familiaſque confundis? Gentis Corneliæ agnomen Hiſpalus fuit: etiamne Juniæ? Legi oportuiſſe ſcito, *M. Iunio Hiſpellate.* Ac ne omnia tibi ſemel argumenta prodam, cur ita legi neceſſe ſit, aliis pauliſper dilatis, vide Reineſium, XII, 73. HISPELLATIA. PROCVLA.

Cluniæ coloniæ unicum commemorabo, Tiberii principatu cuſum, quem pag. 105. affers, C. ARRI. T. CAECIL. P. REST. C. CAELIO. CAND. IIIIVIR. Hoc eſt, interprete te. *C. Arrio, T. Cæcilio, Publio Reſtituto, C. Cælio Candido, Quartumviris.* Quod Quartumviris, non ſemel, ſed ſæpius, pro Quatuorviris dicas, piget objicere toties ſolœcizare te pro more: ſi leviuſcula remittas, quæ peccaſſe me dicis, ſi tamen vere dicis, ſolœca innumera, quibus liber tuus ſcatet, viciſſim, ne ingratus videar, indulgebo: tu da operam, ut quæ ſaltem a me amice & obiter indicantur, emendes. Sed cum cælator tuus P. REST. inſculpſerit, tu tantum P. RES. exhibeas, utrius tandem fide ſtandum erit? Nam ſi P. RES. dumtaxat nummus habet, tum non Reſtituti cognomen, ſed Reſii nomen in promptu erit intelligi.

Ne vero ab Hiſpania diſcedamus, pag. 121. nummum video a te laudari Turiaſone conflatum, inſcriptumque, MVN. TVR. M. ANT. MVSO. C. MARI. VEGETO. IIVIR. Quo loco Muſi tibi cognomen ignotum eſſe fateris: & mihi profecto eſt: tametſi Antonii Muſæ, quem tibi notum eſſe oportuit, nam is medicus Auguſti fuit, mentionem perhonorificam memini a Plinio factam. At idem tu pagina proxime ſubſequente nummum alterum exhibes ejuſdem oppidi, MVN. TVR. M. PONT. MARSO.

C. MARI. VEGETO. IIVIR. *Municipium Turiaſo. M. Pontio Marſo, C. Mario Vegeto Duumviris.* Hic ego tecum quovis pignore contenderim, unius ejuſdemque anni ac fabricæ utrumque nummum eſſe, cum ſit idem Tiberius in antica parte, bos idem in poſtica, eoſdem quoque eſſe Duumviros: ſed prioris nomen in priore evanidum & obſcurum eſſe, in poſteriore illuſtrius: ac legi utrobique oportere, Muſo tuo expuncto, M. PONT. MARSO. Nam Pontii quidem nomen vulgatum, ut & Marſi cognomen.

Corinthum ex Hiſpania transfretemus. In M. Antonii nummo, pag. 9. qui inſcriptus eſt, P. ALITIO. L. MENIO. IIVIR. quæ ſit Alitia gens, neſcire te confiteris. Apud Gruterum, pag. DCCCXX, II. ALICIA. SP. F. IVSTA.

Pag. 44. in Auguſti nummo ex antica parte, in qua expreſſus Auguſti vultus, appellati ſimul Duumviri, P. ALVSIT. C. IVL. IIVIR. ITER. ex altera rurſum Duumviri alii, L. POMP. C. IVL. IIVIR. Hic fluctuas incertus ac dubius, num ob difficilem aliquem rerum ſtatum adjecti novi ad priores Duumviri fuerint. Noli extimeſcere: nihil hic turbarum. In nobiliore nummi area, Duumviri nominantur ii, qui Magiſtratum ſecundo gererent, eo anno quo cuſus nummus eſt: in poſtica, qui magiſtratu jam anno ſuperiore perfuncti eſſent: quorum idcirco nomina ſignantur in ea parte nummi, quod arcus, cujus ibi effigies cernitur, exſtruendi in honorem Auguſti, curam ſubirent. Pro Aluſitio interim vide & obſerva, num ALVIT. legere debueris: eſt enim apud Gruterum, pag. DCCLXXXXVIII, 5. in inſcriptione reperta Emeritæ, M. ALVITIVS.

26.
27.

Pag. 45. ejuſdem Auguſti nummum ex parte priore, quæ caput principis repræſentat, ſic eſt inſcriptus: M. BARBATIO. MN. ACILIO. IIVIR. COR. *M. Barbatio, Manio Acilio, Duumviris. Corinthi.* In averſa rurſum, P. VIBIO. M. BARBA. PRAEF. IIVIR. COR. *P. Vibio, M. Barbatio Præfecto, Duumviris. Corinthi:* qui nempe Magiſtratu jam perfuncti, ludos & ſacra, quæ pro ſalute Principis inchoaſſent, abſolverent. Ex his autem alter, Barbatius videlicet, quo anno cuſus nummus eſt, Duumviratu

iterum fungebatur: quare & anticam nummi aream obtinet, & priore loco appellatur. En cur quatuor Duumviri, ſic enim pag. 45. novo plane more atque eleganti appellas: hem! quis te tam lepida verba edocuit? en cur quatuor, inquam, Duumviri ſignentur in nummis: quod te vehementer ſolicitum habuit: perinde atque quamobrem interdum unicus appelletur: quod haud magis debuit mirum videri, quam quod in nummis Romanis unius tantum Conſulis ſit nomen inſculptum. At de Barbatio quæris, an Præfectus annonæ, ærarii, cohortis, claſſis, urbiſve fuerit. Nihil horum, mi Valens. Eſt enim illud Barbatiorum cognomen, ac fortaſſis aliorum. Nam eſt apud Gruterum, pag. CXIII, 3. PRAEF. PRINCEPS. ET. LATINVS. FELIX.

Ad Corinthum nummos ſpectare duos arbitramur, quos tu inter incertos rejicis. Alter eſt a te deſcriptus, pag. 183. VOLVMNIO. LVRINO. IIV. in aliis, LVRINO. VOLVMNIO Quæ *Duumvirorum nomina* appellas: & mox, *ſub iiſdem Duumviris*, inquis. Atqui unicus eſt, ſi neſcis: cui nomen Volumnius, Lurinus cognomen fuit: ut ſub Auguſto, pag. 45. unicus pariter Duumvir Corinthi notatur, M. BELLIO. PROCVLO. IIVIR. COR.

Alter Druſi Cæſaris nomen præfert, pag. 134. & ex parte altera, PERMISSV. L. APRONI. PROCOS. At non illius, qui in Africa Proconſulatum ſub Auguſto geſſit, ut tu exiſtimas: neque enim id temporum ratio patitur: ſed ejus filii, cui cognomen Cæſiano fuit: qui & Caïi collega in ſecundo ejus conſulatu. Quid quod ad Corinthios hunc nummum ſpectare ex his vocibus, PERMISSV. PROCOS. quæ in Africæ nummis reliquis non apparent, haud levis ſuſpicio eſt? Mercurium certe, qualis in nummo depingitur, a Corinthiis coli monuimus, operis noſtri de nummis, pag. 125. Et a Patrenſibus, ut diſces poſtea ex nobis, nam id tibi latuit, nummus pariter conflatus eſt, cum ſimili epigraphe, *Permiſſu Dolabellæ Proconſulis*.

Quo loco mecum obiter animadvertes hanc formulam, PERMISSV. AVG. PERMISSV. IMP. in his tantum numiſmatis occurrere, quæ ſint in provinciis populi Romani, non item in provinciis Auguſto attributis, conflata.

Habent

Habent hanc nummi Italicæ, coloniæ Patriciæ, coloniæ Romulenſis, Juliæ Traductæ, e Bætica: Eboræ, atque Emeritæ, e Luſitania: quam hinc intelligimus populo Romano primum adjudicatam: id quod Appianus tradere videtur, libro extremo de bello Hiſpanienſi: tametſi poſtea, (quod Dio libro LV. pag. 505. & Suetonius in Auguſto, cap. XLVII. referunt multis contigiſſe,) hanc ſuis legatis Auguſtus ad aliquod tempus commiſit. Habent & percuſſi Patris atque Corinthi in Achaïa: in Sicilia denique, Panhormi. Nam Auguſti nummus, quem affers, pag. 58. ita legendus, PERMISSV. CN. DOMITI. PROCOS. tametſi vox ea PERMISSV in eo nummo oculorum tuorum aciem fugit.

Extra hæc autem loca nondum alibi nobis formula hæc occurrit. Sed cur in iſtis, inquis? Quoniam populi Romani integra auctoritas non eſt, abſque eo, penes quem ſummus populi Romani magiſtratus eſt, hoc eſt, Tribunicia poteſtas. Is autem Auguſtus eſt. Permiſſu igitur Auguſti opus fuit in provinciis etiam populo Romano adſignatis, ut moneta cuderetur, non Senatuſconſulto tantum. Quæ animadverſio lucem affert iis, quæ de litteris Δ. E. in Antiochenſium nummis dicta ſunt a nobis proxime.

Poſtremus, ne te copia erratorum obruat, nummus erit 28.
Buthroti percuſſus ſub Auguſto, allatus a te pag. 19. cum 29.
hiſce Duumviris, Q. NAEVI. SVRA. A. HIP. TVL. NICER. B. IIVIR. *Q. Nævio Sura, Aulo Hippio, Tullo Nicereo, Duumviris bis:* ſic enim diſtinguis atque interpungis, aiſque *tres Duumviros, Nævium, Hippium, & Nicereum*, ibi ſignari: quo quid monſtruoſius dici poteſt? Tres Duumviri, proh ſuperi! Hic animo ſubit illud Martialis: *Vnus cum ſitis, duo, Calliodore, ſedetis: ſurge, ſolœciſmum, Calliodore, facis.* Nicereum, ſi Nicereus eſt, neſcis eundem eſſe cum Hippio, fruſtraque a te diſtractum in duos: nam geminum ei cognomen fuit, Tullus Nicereus: nomen, Hippius: ut Aulus, prænomen. Sic Antonino Pio, Titus prænomen, nomen Ælius: cognomina duo, Hadrianus Antoninus. Sic apud Gruterum inter exempla ſexcenta, *Cn. Acceïus Arunteius Lutatius: M. Antius Ennius Sergianus: L. Antonius Vetus Sabinus. M. Antonius Rufus Axius.* Sic denique Sir-

mondus noſter olim edocuit in quodam Præfectorum edicto Salmaſium turpiter lapſum eſſe: quod Junius Quartus Palladius, non duorum, ut Salmaſius exiſtimabat, ſed unius Palladii tria ſunt nomina.

Litteram vero B cum *bis* interpretaris, trepide facis: ſtatim enim ſubdubitare te ſignificas, num ea littera annum deductæ coloniæ ſecundum deſignet. Sed inanis ea trepidatio eſt: ecquis enim nummus omnino annos Latine deſignat ſingulis, ut Græci ſolent, elementis, ſecundum alphabeti ſeriem? Diſce ergo, quæ te præteriere, duo: alterum, certiſſime *bis Duumviris* legi oportere: alterum, aliud eſſe *bis* Latine, aliud *iterum*, vel *ſecundum*: alioſque bis Duumviros intelligi, quam qui Duumviri iterum ſolent appellari. Nempe qui Duumviri iterum dicuntur, hunc eo anno magiſtratum ſecundo gerunt: qui bis, abiere illi jam magiſtratu, quo per biennium fuere perfuncti. Sic Conſules ſecundum dicuntur, qui ſecundo munus illud obeunt: quemadmodum in hac inſcriptione apud Gruterum, pag. CCC. ut innumera alia prætermittam exempla. C. BRVTTIO. PRAESENTE. T. MESSIO. EXTRICATO. II. COS. P. R. C. AN. DCCCCLXX. hoc eſt, *ſecundum Coſſ. poſt Romam conditam anno* 970. Sicut in nummo Hadriani, in quo explicando hæſiſſe vidimus viros doctos, ANN. DCCCLXXIIII. NAT. VRB. P. CIRC. CON. S. C. hoc eſt, nam id obiter indicari haud erit abs re, *Natale Vrbis, poſt Circum conditum.*

Occurrunt & in vetuſtis lapidibus hi Duumviri Quinquennales bis: apud Gruterum, pag. CCCLIX. T. APPAEO. T. F..... DVOVIR. QVINQ. BIS. OB. MERITA. EIVS. Pag. CCCCXLIV, 8. L. OCTAVIO. BIS. DVVMVIRO. QVINQ. Hoc igitur in nummo inſculpta Duumvirûm nomina, qui jam bis eum honorem geſſiſſent, quod Auguſti ſtatuam militarem, quæ in eo nummo baſi impoſita cernitur, EX. D. D. *ex decreto Decurionum*, ut fert area nummi altera, poſt alterum magiſtratus annum exactum, poni curaverunt. Quid quod legendum in recto caſu videtur, ut in altero Corinthiorum nummo dicemus, *Q. Nævius Sura*, *Aulus Hippius Tullus Niger*, poni ſcilicet curavere? Feliciorem enim arbitror cælatorem tuum,

Digitized by Google

quam te, fuiſſe: qui NIGER in eo nummo ſculpſerit, ubi tu NICER. legiſti. An aliquid ultra jam deſideras aut exſpectas ?

CÆSAREAM Palæſtinæ in nnmmo Titi, COL. CAESAREA. LIB. ΦΛΑ. nec dictam eſſe liberam Flaviam, ut exiſtimas, neque ita dici omnino potuiſſe.

VERUM hæc præ iis quæ ſequuntur, ludicra & levia. Inter nummos quamplurimos Cæſareæ Palæſtinæ conflatos, vetuſtate reliquos ac difficultate antecellit is, quem pag. 194. refers ſub Tito, ita inſcriptum, COL. CAESA- 25.
REA. LIB. ΦΛΑ. cum turrito capite. Sequitur hunc alter ſub Titi fratre Domitiano, pag. 198. cum Serapidis effigie, COL. PRIMA. FL. AVG. CAESAR. hoc eſt, ut ex Plinio monueramus, *Colonia Prima Flavia Auguſta Cæſarea* De utroque igitur nummo conjunctim quæri duo poſſunt: alterum, cur prima Flavia appellata hæc colonia ſit: alterum, an & libera Flavia, ut tu has litteras interpretaris, LIB. ΦΛΑ. in priore. Nam quod Cæſaream a Plinio vocitatam eſſe Apolloniam dicis, pag. 195. plane negligimus, cum falſa non in nos, ſed in accuratiſſimum ſcriptorem accuſatio ſit: quam abunde tum noſtra editio Pliniana, tum noſtræ in Plinium notæ, quas ſubinde laudas, refellunt. Nunc alterum igitur controverſiæ caput dirimamus: de priore enim, opportuniore loco dicemus inferius.

Titi ergo nummum, COL. CAESAREA. LIB. ΦΛΑ. quod recte putas te interpretatum eſſe, *Colonia Cæſarea libera Flavia*, hic tibi nunc eſt eripiendus error. Nam quis te Cæſaream eſſe liberam docuit? Paulum JC. appellas libro 2. de cenſibus: *Divus Veſpaſianus*, inquit, *Cæſarienſes colonos fecit, non adjecto ut & juris Italici eſſent, ſed tributum his remiſit capitis. Sed Divus Titus etiam ſolum immune factum interpretatus eſt.* Pergis tu deinde: *Unde Cæſarea beneficii memor, Flaviæ nomen accepit, & liberam ſe in nummis inſcripſit.* Id quod denuo repetis, tomo poſteriore, in Caracallæ num-

Digitized by Google

mis, pag. 73. Ain tu, quia immunis illa omni cenſu fuit, ideo liberam ſe inſcripſit? Idemne eſſe tu putas, immune, ac liberum? Quantopere allucinaris? Fuere coloniæ multæ immunes, Cæſarauguſta colonia immunis, colonia immunis Illici: coloniæ immunes, Auguſta Gemella, Virtus Julia, Genua Urbanorum, aliæque multæ, ita prodente Plinio: quod erant ab omni cenſu ſoli & capitis prorſus immunes. At nulla harum interim libera. Liberum enim quod cenſemus oppidum? quod ſuis legibus ac moribus vivere permittitur, nec Romana cogitur ſequi inſtituta, uti paſſim in libro de nummis monuimus. At colonias quis ignorat Romanis vixiſſe legibus? *Coloniarum*, inquit Gellius, libro XVI. cap. XIII. *alia neceſſitudo eſt. Ex civitate quaſi propagatæ ſunt: & jura inſtitutaque omnia populi Romani, NON SVI ARBITRII, habent. Quæ tamen conditio cum ſit magis obnoxia, ET MINVS LIBERA, potior tamen & præſtabilior exiſtimatur, propter amplitudinem majeſtatemque populi Romani, cujus iſtæ coloniæ, quaſi effigies parvæ ſimulacraque eſſe quædam videntur: & ſimul quia obſcura obliterataque ſunt municipiorum jura, quibus uti jam per ignorantiam non queunt.* Audin non eſſe colonias liberas, libera e diverſo eſſe municipia? Antiochia Syriæ primis temporibus colonia non fuit: libera, teſte Plinio fuit: & nummi probant, quos illuſtravimus: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. Eadem ubi colonia facta eſt, libera eſſe deſiit, nec immunis fuit. *Divus Antoninus*, Caracalla ſcilicet, *Antiochenſes colonos fecit, ſalvis tributis*, inquit Paulus J C. *Laodicia in Syria*, inquit idem, *& Berytos in Phœnice, juris Italici ſunt, & ſolum earum:* ambæ quidem coloniæ, at neutra tamen libera, neutra immunis.

Quamobrem, ut idem Gellius refert, error eſt vulgi, *exiſtimantis meliore conditione eſſe colonias, quam municipia.* Cujus de *opinionis erroribus Divus Hadrianus*, inquit, *in oratione, quam de Italicenſibus, unde ipſe ortus fuit, in Senatu habuit, periti ſſime diſſeruit: mirarique ſe oſtendit, quod & ipſi Italicenſes, & quædam item alia municipia antiqua, in quibus Vticenſes nominat, cum SVIS MORIBVS LEGIBVSQVE VTI poſſent, in IVS COLONIARVM mutare geſtiverint:* hoc eſt, cum libera eſſent municipia, coloniæ eſſe amiſſa libertate

Digitized by Google

maluerint. At alii cautiores libertatem ſuam eſſe ſalvam & integram maluere, municipii nomine ac jure vindicato, coloniæ titulo & onere depoſito. *Præneſtinos autem refert* idem Hadrianus, teſte Gellio, *maximo opere a Tiberio Imperatore petiſſe oraſſeque, ut EX COLONIA IN MUNICIPII STATUM redigerentur: idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuiſſe.*

Eam ob rem cave credas viro illuſtri, tametſi ille inter eos qui hac ætate de nummis ſcripſere, eruditus habendus eſt: ſed tamen nunc ſemel ſecurus ab illius diſcede ſententia: dum pag. 785. Gordiani nummum refert, (Patinus Caracallæ tribuit, pag. 310.) ex cimelio Regio, ΚΟΛ. ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡϹ. Romanamque & liberam coloniam Tarſum vocat: & ex eo nummo lucem accedere putat ei Actorum loco, ubi ſe civem Romanum Paulus profitetur, Act. XXII, 28. *Atqui Tarſus* (hic Grotii tibi in eum locum verba tranſcribo:) *non Colonia erat, ſed libera urbs, Plinio teſte. Conceſſam Tarſenſibus libertatem ab Antonio dicit Appianus Civilium quinto. Et Dion Chryſoſtomus priore oratione Tarſenſi multa privilegia recitat ab Auguſto tributa Tarſenſi civitati, non autem jus coloniæ aut municipii, qualibus jus civitatis Romanæ competebat. Et Vlpianus inter Ciliciæ colonias Tarſum non nominat. Reſtat ergo ut aliquis majorum Pauli bellis civilibus, quæ inter Cæſarem Auguſtum, & Brutum, Caſſiumque, aut etiam inter eundem Cæſarem & Antonium interceſſere, jus illud ſibi comparaverit. Vnde colligas ex opulenta familia fuiſſe Paulum.* Pro ΚΟΛ. igitur in eo nummo quid ſit legendum ut reſcias, Verſalias te confer quamprimum: nos enimvero lucem aulæ fugimus.

Vide jam interim qua tu libertate coloniam Cæſaream impertias: aut abde potius, ſi me audis, pulcherrimum illud libertatis munus tuum, quod eſſe coloniæ nec uſui nec ornamento poteſt: tibi, ſi pergis oſtentare, pudori futurum eſt ac dedecori. Neque enim nummus aliquis Latine inſcriptus hanc libertatis vocem ferre poteſt: cum vel in colonia cuſus, vel in municipio ſit: colonia autem eſſe libera non poſſit: municipium ſi dicatur aut intelligatur, cum coloniæ nomen abeſt, liberum ex eo abunde noſcatur.

Digitized by Google

CÆSAREAM Palæſtinæ in nummis Titi & Elagabali peculiarem Flaviorum æram, quod tu neſciſti, deſcripſiſſe: Antiochenorum æras viciſſim a te confictas, quæ nullæ fuere: ex alia eorumdem æra ſincera natalem Chriſti Domini te perperam conjeciſſe in annum poſt Romam conditam DCCXLIX.

ROGAS igitur, quemadmodum in Titi nummo, qui ſic inſcriptus legitur, COL. CAESAREA. LIB. ΦΛΑ. legi & accipi has notas oporteat, ſi libera Flavia dici non poteſt. Græcæ ſunt, vir bone, eæ litteræ, quas tu Latinas eſſe putaſti: nunc vero Latinas eſſe non poſſe, ſi nos audiſti, fateris. Et ſunt eæ autem ſic interpungendæ: L. IB. ΦΛΑ. interpretandæque, λυκάβαντος ιβ'. Φλαβίων, hoc eſt, *anno* XII. *Flaviorum*. Cæſarea Palæſtinæ Flaviorum æram, ut olim Syriacæ civitates Seleucidarum, exhibet in nummis: ducitque illius initium, vel a Kalendis Juliis, quibus Veſpaſianus ſalutatus eſt Imperator, ut Tacitus monet, libro 2. hiſtor. Galba iterum & Vinio Coſſ. anno V. C. DCCCXXII. æræ vulgaris LXIX. vel ab expugnata anno ſequente, menſe Septembri, urbe Hieroſolymitana.

Neque vero in hoc ſolummodo numiſmate, quod nondum oculis uſurpare licuerat, ſed & in altero, quod alii Caracallæ, nos recte, ſic enim confiteris non ſemel & prædicas, Elagabalo aſſeruimus: quo in nummo cum Triſtanus legerit, COL. CAESAREA EIN ΦΛΑ. tu quemadmodum lecturus eſſes, cupidiſſime exſpectabamus, cum prius volumen lucubrationum tuarum legeremus: ſpondebas enim ænigma te ſtrenue diſſoluturum: ubi vidimus tomum alterum, pag. 41. carbones theſaurus erant. A nobis igitur diſce nunc primum legi oportere, COL. CAESAREA. L. PN. ΦΛΑ. quibus notis annus CL. æræ Flaviorum indicetur, qui V. C. DCCCCLXXIII. a menſe Septembri, Elagabali tertius fuit: ducto æræ hujus exordio ab Hieroſolymis

expugnatis : vel V. C. DCCCCLXXII. idemque Elagabali ſecundus, ſi Flavianæ æræ initium repetatur ab ipſis Veſpaſiani principatus auſpiciis, quod verius arbitramur. Tu cum LIB. ΦΑΑ. pro L. PN. ΦΑΑ. & in iſto legis, aut non optima fide, aut non acutiſſimis oculis eſſe te fidem facis. Vide interim quantum tibi compendium operæ ultro præſtemus, emendatiorem alteram ſi velis parare tui operis editionem : & gratiam, ſi vis, habe.

Cave tamen credas Neapolim Samariæ, quoniam in eadem prima Palæſtina fuit, eandem obſervaſſe æram Flaviorum : tametſi Flaviæ ſimiliter nomen uſurparet. Nummum illius penes nos ipſi habemus, Fauſtinæ junioris nomine, cum nota anni ET. ΠΗ. hoc eſt, LXXXVIII. quanquam alias, quod eſt nummus paulo obſcurior, aliter legimus. Regia gaza ſimilem habet, cum anni nota ET. ΠΘ. hoc eſt, LXXXIX. ab urbis ſcilicet inſtauratione, Veſpaſiani juſſu & auſpiciis.

Has vero notas L. vel ET. ad annum ſignandum ſolitas adhiberi non ignoras, opinor: cum id abunde oſtenderimus in libro de Nummis, pag. 608. cui loco hanc Macrobii, ſi lubet, vocem adjice, e libro 1. Saturn. cap. XVII. *Annum vetuſtiſſimi Græcorum* λυκάβαντα *appellant*, &c. Et apud Homerum quidem in Odyſſea, vox ea ſemel iterumque occurrit.

Hanc igitur monetæ opifices littera L in nummis repræſentant. Fuit enim, ſi neſcis, apud Græcos vetuſtiores pingendi λάμβδα forma duplex : altera, quæ nunc eſt in uſu, Λ : altera, quam a Græcis Latini mutuo accepere, L, inferiore modo linea obliquo ductu leviter adſurgente. Communicavit nobiſcum nuper veterem inſcriptionem in Græcia delineatam, vir e Societate noſtra præter ceteras laudes incredibili omnium fere linguarum peritia celebratiſſimus P. PETRUS BESNIER. Virorum nominibus propriis, qualia iſta duo ſunt, ΚΑLLΙΑΣ & ΑΠΟLLΟΔΩΡΟΣ, in ea inſcriptione, litteræ λάμβδα ea forma inſertæ ſunt, quæ Latinæ prorſus conditionis eſſe videantur, aut certe Latinis affines maxime atque cognatæ. Neque id vero in uno tantum vel altero nomine animadvertimus, ſed pluſquam quinquagies. Quare nihil mirum, ſi in Ægyptiacis Ptolemæorum, & in Tyriorum nummis, ſub Demetrio Sotere, Demetrioque

Nicanore, aliiſque, ea littera paſſim occurrat: jam tum adſcito videlicet ad anni voculam ſignandam altero charactere, qui tum in uſu foret: altero ad numerum annorum indicandum reſervato. Præſertim cum unica littera ſignari hanc vocem *Anno* commodiſſimum foret: neque id fieri per E pro ἔτει poſſet: aut per alteram formam pingendi λάμβδα, Λ: quoniam utraque littera commiſceri cum notis numeralibus a legentibus poſſet.

An & inverſa aliquando hæc littera in nummis appareat, in hunc modum, Γ, rogas? Nuſquam certe, quod quidem ſciam. Nam in nummo Tarſenſium, ſub Caracalla, apud Triſtanum, tom. 2. pag. 215. ΤΑΡϹΟΥ. ΜΗΤΡΟΠ. Γ. Β. multo ſatius videtur interpretari, Γράμματι βασιλέως, *Imperatoris reſcripto:* quod θεῖον γράμμα, in Concilio Epheſino, & in Calchedonenſi appellatur: in Gloſſario Philoxeni, Γράμμα βασιλέως, *divini apices:* ab aliis θεῖαι κεραῖαι, *& ſacræ litteræ.* Itaque, ut in aliis nummis ſuperius vidimus, S. C. & PERMISSV. AVGVSTI, ſic in iſto nunc eodem ſignificatu, Γ. Β. niſi quid habes rectius iſtis, accipe.

Non ſunt eæ litteræ in nummo Herenniæ Etruſcillæ, in quo iſtud tantum: ΤΑΡϹΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. Α. Μ. Κ. Quarum litterarum ſententia videtur eſſe, Ἀδελφοὶ Μεταλλεῖς Κιλικίας. Nam in alio Caracallæ, teſte Holſtenio in Stephanum, pag. 313. circa leonem, ſcribitur, ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗϹ. ϹΕΟΥ. ΑΔΡ. ΜΗΤ. ΤΑΡϹΟΥ. *Antoninianæ Severianæ Hadrianæ Metropoleos Tarſi.* Et intus: Κ. ΑΔΕ. Μ. Κ. Quod nos interpretamur, Κοινὸν ἀδελφῶν μεταλλέων Κιλικίας. *Commune fratrum metallariorum Ciliciæ.* Metallarii ſunt, qui metalla ſuppeditant monetæ cudendæ conflandæ. Vide, ſodes, quæ pag. 379. de nummo diximus Muſei noſtri ſic inſcripto, METALLI. VLPIANI. PANN. cui metallo nomen ab Ulpio Trajano Aug. & a Pannonia, ubi metallum illud conflabatur in monetam. Non corpora modo, ſive collegia, ſed & civitates in Cilicia, fraternitatis titulum uſurpaſſe docet nummus alter, de quo diximus olim, Η. ΤΑ. ΑΔΕΛΦΩΝ ΔΗΜΩΝ.

Omnes autem hoſce characteres, de quibus nunc agimus, Caracallæ tertius apud Holſtenium nummus complectitur: nam

Digitized by Google

nam circum elephantem, ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗC. CΕΟΥΡ. ΑΔΡΙΑ. & ſubtus, ΤΑΡCΟΥ. Super tergum elephantis, Μ. Α. Κ. Super caput, Γ. Β. Μεταλλεῖς ἀδελφοὶ Κιλικίας, γράμματι βασιλέως. Alexandri Severi laudatus ab eodem nummus, ΑΔΡ. CΕΟΥΗ. ΑΛΕΞΑΝ. ΜΗΤΡ. ΤΑΡCΟΥ. circum Apollinem : ad dextrum ejuſdem brachium, Α. Μ. Κ. ad lævum, ſub arcu, Γ. Β. In Gordiani nummo circum leonem, qui taurum diſcerpit, ΤΑΡCΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC : & ſubtus, ΑΜΚΓΒ. Ἀδελφοὶ Μεταλλεῖς Κιλικίας, γράμματι βασιλέως : non, uti Holſtenio credidimus olim, *prima metropolis Ciliciæ*. Nam cum metropolis ſemel dicta ſit in epigraphe, hunc iterum repeti titulum nec uſus fert, nec ratio patitur. Denique in Maximi Clodii Pupieni nummo, apud Triſtanum, tom. 2. pag. 496. ΤΑΡCΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ΑΜΚΓΒ. eodem, quo ſæpe diximus intellectu : neque enim litteræ Γ. Β. pro L. B. ut monuimus, accipi debent : hoc eſt, pro anno ſecundo : quippe cum ſecundum imperii annum Maximus Pupienus non viderit.

Ad eoſdem Tarſenſes ſpectare & hunc Alexandri Severi nummum ex eo intelliges, laudatum ab Holſtenio, loco citato : ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑΝΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. Intus, Α. Μ. Κ. Subtus, Γ. Β. Et iſtum a nobis relatum, pag. 28. operis noſtri de nummis, ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑC. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ΕΤ. ΒΠC. *anno* CCLXXXII. qui incidit in annum Gordiani quartum, ab Urbe condita DCCCCLXXXXIV. ducto illius æræ initio, ab anno V. C. DCCXIII. quo anno conceſſam Tarſenſibus ab Antonio libertatem cum immunitate diſces ex Appiano, libro V. Civilium, pag. 675. Neque vero aut Alexandria Ægypti metropolis dicatur in nummis, haud certe magis quam Roma, Carthago, vel Conſtantinopolis : aut æra iſta poteſt Alexandriæ Ægyptiacæ convenire. Et eos autem qui hunc olim Caracallæ, & nos qui Elagabalo adſcripſimus, cælatura rudior, cujuſmodi eſt Græcorum nummorum, & fugientes poſtremæ litteræ, fefellerunt: nam ad M. Anton. Gordianum juniorem referri oportere admonet & annorum numerus, & Alexandrinæ cognomen, quod ei civitati nonniſi ab Alexandri Severi temporibus obtigit. A propoſito autem non tam facile divagarer, niſi gra-

Digitized by Google

tificandi tibi animus eo ſubinde impelleret, quo his adnotationibus locupletare poſſis illud, quod magno promittis hiatu, volumen de nummis Græcorum. Ad lineas igitur revertamur.

Habes aliquid quod Flaviorum æræ opponas., quam in Cæſarienſium nummis deprehendimus? Non is es, opinor, qui neſcias hoc adulationis genus invaluiſſe dudum in illo Orientis tractu. Nam ut Arabes omittantur, de quibus, cum eſſent a Trajani legatis perdomiti, ſcribit auctor chronici Paſchalis, ſive Alexandrini, anno Trajani VIII. æræ vulgaris CV. *Petræi & Boſtreni ab hoc anno ſuam æram inchoant:* Πετραῖοι καὶ Βοστρηνοὶ ἐντεῦθεν τοὺς ἑαυτῶν χρόνους ἀριθμοῦσι: quæ cauſa fuit altera quamobrem Nova Trajana Boſtra diceretur, præter eam quæ eſt a nobis ante allata: quaſi novum ſibi ſæculum exoriri incolæ teſtarentur: ut hos, inquam, omittam, quoniam in nummis annos minime ſignavere: Antiocheni, qui peculiarem ſibi æram conſtituerant, poſt ſtabilitam ſibi libertatem, ſive *αὐτονομίαν*, beneficio Julii Cæſaris, prima ipſius Dictatura, menſe Maïo anni ab V. C. DCCV. ut diximus, libro de Nummis, pag. 49. iidem ſub Auguſto, priore depoſita, alteram, ut Principi gratulationis ſuæ ſignificationem darent, conſignavere in nummis, quæ dici Auguſtæa vel Auguſtana poſſit, a pugna victoriaque Actiaca, quæ contigit IV. Nonas Septembris, anno V. C. DCCXXIII. Duravitque illa apud ipſos Auguſti Tiberiique ætatibus. Sed mox Claudii ſaltem principatu reditum eſt ad Julianam. Poſterioris certe, hoc eſt, Auguſtanæ, annos exhibent nummi ſubſequentes: nondum enim plures licuit oculis uſurpare.

1. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. ΔΚ. *Antiochenſium metropoleos liberæ, anno* XXIV. a pugna nempe Actiaca: Urbis conditæ, DCCXLVII. Auguſti XXXVIII. ante æram Chriſtianam vulgarem anno VII, ante menſem Septembrem.

2. ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΚ. *Sub Varo* Syriæ Præſide, *Antiochenſium.* Anno XXV. ab eadem victoria: qui annus a Septembri menſe anni DCCXLVII. ad Septembrem anni DCCXLVIII. numerandus eſt. Nummus eſt ille cimelii Regii, ut eorum plerique, quos vidimus.

3. ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ϚΚ. *Anno* XXVI.

4. ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ... ΖΚ. *Anno* XXVII. Eodem fortaſſis anno percuſſus & alter a nobis ſupra memoratus, e Muſeo noſtro, ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΧΟΝ. ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ΣΚ. Sic enim plane ſcriptum eſt, tam conſpicuis fere characteribus, quam lux eſt meridiani Solis. Sed nihilominus Σ pro Ζ vitio opificum ſculptum arbitramur: aut aliquid ibi latere myſterii, quod a te indicari nobis, ut vicem rependas officii, pro jure quodam noſtro poſtulamus.

5. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΓΜ. *Sub Silano* Præſide Syriæ. *Anno* XLIII.

6. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΔΜ. *Anno* XLIV. Sunt anni hi duo ab Urbe condita DCCLXVI. & DCCLXVII. uſque ad Septembrem: æræ vulgaris Chriſtianæ, XIII. & XIV. Auguſti Cæſaris anni poſtremi duo.

7. Α. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΜ. *Anno* XLV. Ex parte nummi antica, ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΚΑΙΣΑΡ. *Cæſar Auguſti F.* Tiberius ſcilicet, cujus & vultus in eo nummo impreſſus, & annus primus littera Α, quæ in poſticæ areæ epigraphe ſummum locum obtinet, deſignatur. Annus eſt V. C. DCCLXVIII. ante Septembrem, æræ Chriſtianæ XV.

8. Γ. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΖΜ. *Sub Silano, Seleucenſium: anno* XLVII. Nam Seleucenſes adjungi Antiochenis jus & ratio poſtulat: & quod eſt admodum vicina civitas, & quod eandem Auguſtanam in nummis conſignat æram. Littera Γ primo loco poſita, tertium Tiberii annum denotat, cujus vultum & nomen nummus repræſentat.

9. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Cæſar Auguſti F.* In averſa nummi area, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΔΝ. *Anno* LIV. Urbis conditæ DCCLXXVII. æræ Chriſtianæ XXIV. Tiberii decimô, uſque ad Septembrem.

10. ΕΠΙ. ΦΛΑΚΚΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Tiberii nummus, cujus & Patinus meminit, pag. 76. Sed anni notam non expreſſit, quæ eſt hujuſcemodi, ΒΞ. hoc eſt, LXII. Tiberii XVIII. Urbis DCCLXXXV. æræ vulgaris XXXII. Cave enim pro ΒΞ aliud quidpiam oculi tibi obtrudant, ut Pom-

peïanam nobis æram per vim inculces. Quid enim alienius a vero, quam ſub eodem Auguſto, eodemque Præſide, in ſimili nummi fabrica, diverſas cudi tamen æras? Pomponius autem Flaccus in hoc nummo ſignatur, quem Joſephus laudat libro XVIII. Antiq. cap. VIII. Suetonius in Tiberio, cap. XLII. denique Tacitus, libro VI. Annal. cap. XXVII. Syriæ Proprætorem appellat, defunctum Servio Galba, Lucio Sulla Coſſ. hoc eſt, anno æræ vulgaris XXXIII. Tiberii XX.

Præter hos decem, niſi memoria fallit, ab eruditis olim inaudivi alium exſtare nummum, ΕΠΙ. ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΥ. ΕΤ. ΕΛ. *Sub* Cneïo Sentio *Saturnino*, ἔτει λέ. *anno* XXXV. poſt Actiacam ſimiliter victoriam, ſive Urbis conditæ DCCLVII. Auguſti XLVIII. æræ vulgaris Chriſtianæ IV. a Septembri.

Priorem autem æram, ſive Julianam, quæ a Julio Dictatore anno DCCV. ab Urbe condita menſe Maïo ducit initium, exhibent nummi qui ſequuntur.

1. ΕΠΙ. ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ϥ. *Sub Petronio*, *anno* XC. Claudium Imp. facies antica nummi repræſentat, cujus in annum primum plane incidit nonageſimus a prima Julii Cæſaris Dictatura. Eſt idem V. C. DCCLXXXXIV. æræ Chriſtianæ XLI. ante menſem Maïum. Nummus hic eſt quoque, ut plerique alii, qui nunc laudantur a nobis, gazæ Regiæ.

2. ΕΠΙ. ΛΟΓΓΙΝΟΥ. ΕΤ. Δϥ. *Anno* XCIV. cujus initium a menſe Maïo anni V. C. DCCLXXXXVIII. æræ vulgaris XLV. Claudii Imp. IV. Sed nummum hunc ipſi non vidimus; de eo ad nos amici retulere. Caſſius Longinus a Joſepho appellatur, libro XX. Antiq. cap. I.

3. ΕΠΙ. ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ. ΕΤ. ΕΡ. *Sub Quadrato*, *anno* CV. Neronis nummus eſt, anno ipſius altero cuſus, V. C. DCCCIX. æræ Chriſtianæ LVI.

4. ΝΕΡΩΝΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. In ſuperficie altera, ΠΟΠΠΗΙΑΣ. ΣΕΒΑΣΤΗΣ. ΗΡ. *Anno* CVIII. Urbis conditæ DCCCXII. Neronis V. æræ vulgaris LIX.

5. ΕΠΙ. ΚΕΣΤΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΔΙΡ. *Sub Ceſtio*, *anno* CXIV. Neronis XI. æræ Chriſtianæ LXV. Urbis conditæ DCCCXVIII.

6. ΕΠΙ. ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΖΙΡ. *Sub Muciano, anno* CXVII. Galbæ Imp. nomen ex altera parte nummus Latine præfert. Annum deſignat Urbis conditæ DCCCXXI. poſt Junium menſem, quo Galba rerum potitus eſt.

7. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. In averſa parte, ara: cum his vocibus, ΕΤΟC. ΚΡ. id eſt, annus CXX. qui V. C. DCCCXXIV. Chriſtianæ æræ LXX. Veſpaſiani ſecundus.

8. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ΗΚΣ. *Anno* CCXXVIII. Nempe V. C. DCCCCXXXII. æræ Chriſtianæ CLXXIX. M. Aurelii Imp. XIX.

9. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗ. ΚΟΛΟ. ΔΟC. Ἀντιοχέων μητροπόλεως κολωνίας, σοδʹ. *Anno* CCLXXIV. Urbis conditæ DCCCCLXXVIII. æræ Chriſtianæ CCXXV. Alexandri Severi quarto.

Sed quorſum ego hæc te doceo, inquies? Nempe ut intelligas multa tibi etiam in hoc genere dediſcenda. Sic enim de Antiochenorum æra pronuntias, in Alexandro Severo, pag. 162. *Antiochenſes ingenio leves & mutabiles, varias in nummis æras computarunt. Prima ab ipſis ſignata eſt ſub regibus ſuis a condita Antiochia. Secunda, cum epigraphe* αὐτονόμȣ, *principibus ſuis expulſis, & Syria in provinciam redacta, anno Urbis conditæ 641. Tertia poſt interfectum Pompeium, anno V. C. 705. Quarta denique, ſub Auguſto, V. C. 723. Sed eam etiam mutarunt ſub Veſpaſiano, exſtinctis poſt Neronem Cæſaribus, Iuliana iterum recepta.*

Quot hic e divite pera tanquam æra ſpargis æras? At expunge, ſodes, uno calami ductu duas priores: fictitiæ enim ſunt: neque uſquam in nummis, aut in aliis monumentis apparent. Primam quidem ſi qui nummi præferunt ſub regibus Syriæ, ut aïs, cur hi a te prætermiſſi in opere de nummis regum Syriæ? Unum tu quidem profers ſub Romanis Impp. conflatum, pag. 268. in Philippo juniore: quo in nummo cenſes annos numerari a condita Antiochia: quo id autem argumento doces? plane nullo. Et vero ad annum M. Aurelii XIX. ut nos proxime fecimus, referri oportuit, ducto annorum initio a prima Cæſaris Dictatura. An ullam ducerent a Pompeii adventu æram Antiocheni, cum annus ille luctum

Digitized by Google

mœroremque potius, quam gaudium, attuliſſet: capta urbe, rege pulſo, redempta pretio libertate, nec ſine metu ejuſdem brevi amittendæ? Quod contra Gazenſibus Gadarenſibuſque evenit, quibus conceſſa a Pompeïo ultro libertas eſt, anno ſubſequente, hoc eſt, V. C. DCXCI. quo Palæſtinam ille luſtravit, unde horum æra cepit initium: ultra biennium hanc nequicquam prorogante chronici Alexandrini auctore, qui tempora rerum geſtarum ſubinde conturbat.

Secundam pariter epocham tuam cur potius quam tertiam *αὐτονόμου* appellatio deſignet, haud ſane intelligo. Nam *αὐτονομίαν* quidem, ſive poteſtatem propriis vivendi legibus redemere pecunia a Pompeïo Antiocheni, teſte Porphyrio in Scaligeri Euſebianis, pag. 227. At eadem a Julio Cæſare poſtea lege lata eſt ſtabilita, ut dudum monuimus ex chronico Alexandrino. Noli ergo æræ Pompeïanæ hunc nummum, ut ibidem facis, adſcribere: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. ΔΚ. *Anno* XXIV. ſed Auguſtanæ, ut fecimus. Niſi forte arbitraris, aut ſub Julio Cæſare, aut ſub Auguſto conſignari potuiſſe in nummis Antiochenorum æram Pompeïanam. Quam tu cum cœptam dicis anno 641. vel ut in indice aïs erratorum tuorum, anno 691. aberras adhuc a vero: nam annus DCXC. debuit adſignari: quem Pompeïus in Syria tranſegit. Μητροπόλεως quoque titulum ab Auguſto demptum huic civitati dum conjicis, reſtitutumque a Trajano, conjectationem hanc tuam egregie refellit hic nummus, anno XXXVIII. Auguſti percuſſus: itemque alter ſub Tiberio, quem & nono loco ſuperius commemoravimus, & apud Patinum in Theſauro, pag. 48. legere potuiſti.

Vide igitur ut duas tantummodo Antiochenorum æras in tuo opere Græcorum numiſmatum agnoſcas: alteram a Julio Dictatore, anno DCCV. alteram a pugna Actiaca, anno DCCXXIII. Neque hanc ſub Veſpaſiano, ut aïs, exſtinctam, ſed multo antea, Claudii ſaltem principatu, ſcito: revocata nempe æra Juliana: non levitate animi, ut accuſas: ſed quod ab Imperatore, qui tunc rerum potiebatur, confirmatum fuiſſet diploma Julianum de Antiochenorum libertate:

Digitized by Google

ſtabilitaque jura ac privilegia eo diplomate comprehenſa.

Veniamus jam ad inſignem fructum, quem percipi dicis ex notis annorum, quæ ſunt in nummis inſculptæ. *Hic lectorem*, inquis, tom. 2. pag. 163. *per Antiochenſium æram in nummis ſub Syriæ præſidibus percuſſis ſignatam, D. N. Ieſum Chriſtum ſub Auguſto, Syriam regente Varo, anno V. C.* 749. *natum nos cognoviſſe monemus: de quo fuſius in diſſertatione particulari, aut in* 2. *de Syriæ præſidibus tomo, quem aliquando ſumus edituri.*

An arcanum aliquando tuum cuiquam impertiiſti, a quo deinde ad nos dimanarit? Dabo nunc operam ut intelligas nihil ad noſtros hauſtus e tuis fontibus derivatum. Vide enim quanto nobis notius iſtud, quam tibi, ſit. Natalem Dominicum contigiſſe anno Urbis conditæ DCCXLVII. annis ſex & menſibus tribus ante æram vulgarem, quæ a Kalendis Januariis anni DCCLIV. ducit initium, Antiochenorum nummi plane ſuadent: non anno DCCXLIX. ut affirmas: Syriam regente Caïo Sentio Saturnino: non Varo, ut arbitraris. Nam ſub Saturnino cenſus editus eſt, quem Lucas commemorat in Evangelio ſub Cyrino, ſeu Quirinio, actum. A Saturnino nempe, ut præſide Syriæ: a Quirinio, ut procuratore, peractum id munus eſt.

De Saturnino quidem teſtis eſt Tertullianus, libro IV. contra Marcionem, cap. XIX. ubi de Chriſti genere & carne diſputat: *Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto tunc in Iudæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus inquirere potuiſſent.* De cenſu porro, qui ſub natalem Chriſti actus eſt, ſermonem ei eſſe, fidem facit alter ejuſdem locus hoc ipſo libro, cap. VII. ubi de Chriſto Domino: *Quomodo in ſynagogam potuit admitti tam repentinus, tam ignotus? cujus nemo adhuc certus de tribu, de populo, de domo, de cenſu denique Auguſti? quem teſtem fideliſſimum Dominicæ nativitatis Romana archiva cuſtodiunt.* Unde Rigaltii notam ad priorem Septimii locum non immerito ſpreveris.

De Quirinio vero Juſtinus martyr in apologia ad Antoninum, quæ vulgo ſecunda dicitur, pag. 59. ubi natum in Bethleem Chriſtum aït, *quemadmodum*, inquit, *& ex deſcriptionibus cenſus acti, quæ ſub Cyrenio, primo veſtro in Iudæa*

PROCVRATORE, *ſunt confectæ*, *intelligere poteſtis:* ὡς καὶ μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου. Primus procurator dicitur, quoniam primus cenſum egit. Nam procurator ante illum fuit reipſa Volumnius : ſed priore anno, ut apparet, quo Saturninus Syriæ præfuit, morte abreptus. Itaque quem agere ille cum Saturnino cenſum non potuit, egit Cyrinus, ſive Quirinius, in Volumnii locum ſuffectus, ut eſſet ἐπίτροπος, procurator, & ſecundum quendam modum eam ob rem cum Saturnino ἡγεμὼν, in provincia præſes.

Nam & Volumnius a Joſepho, libro XVI. Antiq. cap. XVI. ea communi cum Saturnino appellatione cohoneſtatur: Σατορνῖνον καὶ Οὐολόμνιον τοὺς τῆς Συρίας ἡγεμόνας: iterumque cap. XII. Et tamen libro I. belli Jud. cap. XVII. οἱ ἡγεμόνες dicuntur Σατορνῖνός τε, καὶ οἱ περὶ Πεδάνιον πρεσβεῖς, Saturninus & Pedanius legati, quorum ille provinciæ rector eſſet, τῆς Συρίας ἐπιμελητής, ut appellatur ab eodem Joſepho, libro XVII. Antiq. cap. I. iſte exercitus, ſive legionis : (nam ita poſtea ſub Nerone, teſte Tacito, libro XV. Annal. cap. XXV. *Syriæ exſecutio Cincio*, *copiæ militares Corbuloni permiſſæ :*) Sed cum Saturnino & Pedanio Volumnius procurator fuit, σὺν οἷς καὶ Οὐολόμνιος ὁ ἐπίτροπος, inquit Joſephus loco ante citato. Et a Luca in Evangelio Cyrinus ſimiliter ἡγεμονεύων appellatur, quem Juſtinus martyr, ut vidimus, ἐπίτροπον nuncupavit, & quidem πρῶτον: quoniam ab eo, ut Lucas teſtatur, deſcriptio prima facta eſt. Alteram egit idem, cum Syriæ præſes eſſet, adjecto ei comite Coponio præfecto equitum, anno æræ Chriſtianæ VII. Urbis conditæ DCCLX. Auguſti Imp. LI. ſive, ut Joſephus docet, libro XVIII. Antiq. cap. III. anno XXXVII. poſt pugnam Actiacam. Quo ex Joſephi loco ſuſpicari haud temere licet, tota Syria, atque adeo & Palæſtina receptam fuiſſe illo ævo æram, quæ in nummis Antiochenorum Auguſtana ſuperius nuncupata eſt.

Jam Caïo Sentio Saturnino Syriæ præſidi ſuffectus eſt Quintilius Varus, anno XXV. Antiochenorum, ut nummi docent antea allati: qui annus incipit ex a. d. IV. Nonas Septembres anni ab V. C. DCCXLVII. Igitur Saturnino Varus eſt ſubrogatus cum ſeriſſime, ut eo anno XXV. ſub ejus nomine

moneta

Digitized by Google

moneta cuderetur, inſequente Maïo, cenſu jam peracto per Saturninum, dum haberet Cyrinum procuratorem. Nam Volumnium initio magiſtratus habuerat, ut monuimus: qui cum eo ſententiam dixit in Herodis filios, ut Joſephus refert, libro xvi. Antiq. cap. ult. anno eo ipſo, ut arbitramur, V. C. dcxlvii. ſub Paſcha. Cenſus ergo in Judæa, defuncto paulo poſt Volumnio, vel abdicato, peractus eſt menſe Septembri: quæ tempeſtas itineribus eorum qui dare nomina debuere, erat opportunior. Quam forte ob cauſam natali Dominico adſignavere quidam Aprilem aut Maïum, apud Clementem Alex. libro 1. Strom. pag. 340.

Anno, inquam, dcxlvii. Quid enim verius, aut certe propius vero, quam cum Romæ cenſus ab Auguſto peractus eſſet, luſtrumque conditum, anno dccxlvi. Cenſorino & Aſinio Coſſ. ut ipſe Auguſtus admonet in marmore Ancyrano, per provincias anno proxime ſubſequente *exiiſſe edictum ab* eodem *Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis?* Hoc ergo anno dccxlvii. cenſemus deſcriptum orbem: nam poſt Romam quidem cenſitam: non igitur anno dccxlvi. Sed necdum Varo præſide Syriæ, qui magiſtratum iniit anno dccxlviii. Anno igitur intermedio, qui dccxlvii.

In menſem vero Septembrem multo verius conveniunt *paſtorum vigiliæ ſuper gregem ſuum*, quas Lucas commemorat: ſive, ut in Græco legitur, ἀγραυλίᾳ, campeſtris ſub dio ſtabulatio, ut ante nos alii viderunt, quam in Decembrem. Shabb. fol. 45, 2. & Bezah, fol. 41, 1. *Hæc ſunt pecora eremi, ea nempe quæ prodeunt paſtum circa tempus paſchatis, & paſcuntur in campis, & domum redeunt ad pluviam primam.* Nedarim, fol. 63, 1. & Taanith, fol. 6, 1. *Quænam eſt pluvia prima? Incipit tertio menſis Marcheshuan.* Qui menſis partem habuit cum Octobri noſtro ac Novembri.

Nam quod die xxv. Decembris apud nos natalis hic dies colitur, (qui mos ævo Chryſoſtomi, hoc eſt, ſub annum ccclxx. tranſiit etiam ad Orientales, ſive Antiochenos, ipſo teſte, homilia xxxi. tomi iv. de natali Chriſti: cum ante hunc annum in ea diœceſi dies natalis Domini in obſcuro fuiſſet:) id, inquam, ſuſpicamur ſapientiſſime inſtitutum ab Eccleſia Romana jam a primis temporibus. Nempe eo

Digitized by Google

conſilio, ut quoniam dies ille ab ethnicis natali Solis dedicabatur, ob reditum Solis a bruma, religione mutata, JESU Chriſti Domini ac veri Solis noſtri natali, cujus alioqui verus dies natalis lateret, tribueretur. In Kalendario Romano, quod confectum eſt Conſtantini Magni temporibus, ipſo anno Chriſti CCCXXV. quo ſynodus prima Nicæna celebrata eſt, VIII. *Kal. Ianuarias, N. Invicti. C. M.* XXIIII. Hoc eſt, *Natalis Invicti. Circenſium miſſiones* XXIV. Id quod de Mithra Sole Invicto intelligendum eſt. Vidiſti enim, opinor, nummos complures Gallieni, aliorumque, inſcriptos, SOLI. INVICTO. Græce Ἥλιος Ἀνίκητος a Juliano Cæſare appellatur, orat. IV. pag. 292. ubi natalem Solis incidere aït in eos dies, quibus Sol primum ad ſeptentriones ab auſtro regreditur. Hinc illud Auſonii, in Idyllio VIII. *Renovate veni Sol.* Inter Jovis epitheta locum & illud habet apud Auguſtinum, libro VII. de Civitate Dei, cap. XI. Deo ipſi Opt. Max. a Fulgentio Ruſpenſi tribuitur, epiſt. VII. cap. VI. *Bonitas INVICTI non vincitur.* In eum ergo diem natalis Chriſti Romæ primum tranſlatus eſt: ut dum gentiles profano ritui vacarent, ſacris ſuis Chriſtiani libere operam darent.

De anno vero, nam id caput controverſiæ eſt, nobis plurimi veteres ſuffragantur, quos citat R. Abraham, a Genebrardo editus, pag. 72. Nam illi ipſo teſte docent *natum eſſe* JESUM *anno* XXXVIII. *Auguſti:* qui annus ipſe eſt quem adſignavimus. Tempore certe natalis Dominici ſic conſtituto, cum ſacris evangelicæ hiſtoriæ ſcriptoribus Joſephus, Dio, aliique, mire concordant: quibus alioqui penitus ſit abroganda fides, ſi aliter ſtatuatur. Quis autem tot teſtes, tam idoneos, ac locupletes, ubi nulla ſit cauſa mentiendi, mendacii inſimulet? Inde triennio poſt natalem Domini Herodem obiiſſe, ut ex Luca haud obſcure colligitur: hoc eſt, Sabino & Rufino Coſſ. anno V. C. DCCL. ut Joſephus & Dio ſcripſere, & ex Tranquillo conficitur: elapſis poſt eclipſim, quæ XIII. Martii eo anno contigit, aliquot menſibus, ut ex Joſepho liquet: adeoque die XXV. Novembris, ut Judæorum libri habent, plane conſtabit. Baptizatum deinde a Joanne Chriſtum, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, ut aït Lucas: poſt annos triginta, μετὰ τριάκοντα ἔτη, ut Chryſoſtomus: cum anno tantum uno triceſimum excederet, intelligemus: anno

Tiberii decimo quinto, ex quo provincias rexit Proconſule: VI. Id. Novembres, ut aït Epiphanius hær. LI. anno æræ vulgaris XXV. Præterea ab anno XVIII. Herodis poſt Hieroſolyma expugnata, detruſumque regno Antigonum, ſive ab anno V. C. DCCXXXIV. tertio menſe, die jejunii, ut Joſephus docet, libro XIV. cap. ult. adeoque die XXIII. Siwan, ut ex Kalendario Judaïco diſcimus: quo anno XVIII. circiter Julium menſem templum ab Herode inſtaurari cœptum eſt, ex Joſepho, libro XV. cap. XIV. in dieſque augeri uſque ad Neronis tempora, ut idem prodit, libro XX. cap. VIII. ſive XVII. Ab anno, inquam, iſto, V. C. DCCXXXIV. annum XLVI. de quo ſermo eſt Joannis capite ſecundo, incidere animadvertimus in annum V. C. DCCLXXX. uſque ad Julium menſem, qui eſt æræ vulgaris XXVII. idemque uſque ad Maïum primus prædicationis Chriſti, quo res ea a Joanne capite laudato narratur. Nam prædicationis officium Dominus capeſſivit anno ſuperiore, Kalendis Maii, ut Martyrologium admonet, quod Hieronymi dicitur. Denique paſſum eſſe Dominum JESUM anno æræ vulgaris XXIX. ex eo intelligimus, tertio paſchate poſt ſuſceptum prædicandi munus, ut vetuſtiſſimi e Patribus unanimi conſenſione prodidere, duobus Geminis Coſſ. Horum an tu quidquam es ſubodoratus? aut tibi aliquis ante nos indicavit?

CÆSAREA Palæſtinæ quo tempore metropolis facta ſit falſo te docuiſſe: cum id & alia monumenta, & ipſi nummi aperte doceant.

IN Alexandri Severi nummo, pag. 166. tomi poſterioris, Cæſarea Palæſtinæ metropolis inſcribitur, C. P. F. A. FEL. CAES. METR. *Colonia prima Flavia Auguſta Felix Cæſarea metropolis.* Sunt & ſub Decio principe quatuor, cum epigraphe auctiore, pag. 279. 280. 281. & 282. COL. PR. FL. AVG. CAES. METR. P. S. P. Denique ſub Voluſiano alius, pag. 318. COL. P. F. CAES. MET. PR. S. P. *Colonia prima Flavia Cæſarea metropolis provinciæ Syriæ Palæſtinæ.* Aïs autem ubique horum locorum, ab Alexandro Severo primum Cæſaream id beneficii conſecutam,

ut metropoleos prærogativa & appellatione potiretur, quoniam id nomen in ejus Imperatoris nummis primum occurrit. Dic ſodes, ſi vere Tacitus retulit, libro 2. hiſtor. ipſo te confitente, Judææ caput jam tum Veſpaſiani temporibus Cæſaream fuiſſe, aliudne cenſes caput eſſe provinciæ, aliud metropolim? aut Judææ caput eſſe potuiſſe, nec ſimul Palæſtinæ eſſe? Certe cum Judæam Tacitus dixerit, ipſe Taciti dictum de Palæſtina, ut decuit, interpretaris, pag. 166. Fuit ergo jam tum totius Palæſtinæ, quam Judææ nomine Tacitus deſignat, ſeu caput, ſeu metropolis. Totius, inquam, Palæſtinæ, ſive Syriæ Palæſtinæ, quæ in tres poſtea, nempe ſub Thodoſio II. diviſa eſt Palæſtinas. Sed ſub Veſpaſiano Syriæ Palæſtinæ, quæ tres illas complectebatur, Cæſarea metropolis fuit: poſtea & ſub Præſide. Quo tempore, inquies? Hadriani Auguſti principatu: quem auctorem divellendæ a Syria Antiochena Syriam Palæſtinam, dato huic Præſide, Victor in Epitome ſatis dilucide teſtatur, ut ex ejus oratione id eruditi colligant. *Officia ſane publica*, inquit, *& palatica, necnon militiæ*, hoc eſt, dignitates tam civiles, quam militares, quæ in Notitia Imperii continentur, *in eam formam ſtatuit, quæ paucis per Conſtantinum immutatis hodie perſeverant.*

Quid quod id ipſum fere nummi docent? non deinde te pudet id neſciſſe? nec rubor pudorem, nec ruborem verſæ repente lacrymæ nunc tandem conſequuntur? Superi rurſum ut tam gravem mihi ſolœciſmum condonent, oro ac flagito: obortas ſive fuſas dicere lacrymas volui: ſed hæſit animo vox illa, quam ubi apud te vidi pag. 358. ſive ultima tomi ſecundi, riſum tenere non potui. Sed qui nummi tandem Palæſtinam avulſam a Syria indicant? Vidiſtin, aut meminiſtin Antonino Pio principe, qui proxime Hadriano ſucceſſit, percuſſum Neapoli Samariæ nummum ita inſcriptum, Φ Λ. ΝΕΑϹ. ΠΟΛΕΩϹ. ϹΥΡΙΑϹ. ΠΑΛΑΙϹΤΙΝΗϹ? Audis igitur ibi primum commemorari Syriam Palæſtinam: tres eo nomine, quæ poſtea diſcretæ fuere, Palæſtinas intellige: cum prima ſcilicet Syriæ Palæſtinæ nomen habuit: altera, ſecundæ Palæſtinæ: tertia, Palæſtinæ ſalutaris.

Vis adhuc planius tempus noſſe, quo diviſæ fuere a Syria Palæſtinæ? Nihil te celatum velim. Vide quam tecum agam

Digitized by Google

liberaliter. Annum rogas? Ex nummis indicabo. Hadriani x. æræ vulgaris CXXVII. Urbis conditæ DCCCLXXX. Eſt in Regio cimelio nummus inſcriptus, ΑΥ. ΚΑ. ΤΡ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. In altera ſuperficie, ΓΑΖΑ. Γ. ΕΠΙ. ΒϥΡ. Scis quid hæ litteræ velint? *Anno tertio*, *cum anno*, vel *ſub anno*, vel *in anno* CXCII. Gazenſem æram diximus eo anno cœpiſſe, quo Palæſtinam Pompeïus luſtravit: eſt enim illud oppidum primæ Palæſtinæ. Luſtravit is autem tractum illum anno V. C. DCXCI. Annum igitur hic nummus deſignat DCCCLXXXII. æræ vulgaris CXXIX. Hadriani XII. At idem eſt annus tertius alterius æræ Gazenſium. Hæc igitur cœpta eſt anno DCCCLXXX. æræ vulgaris CXXVII. Hadriani x. quo anno ſejunctam ab Antiochena Syria ac Phœnicia Palæſtinam, ubi Gaza fuit, hic nummus fidem facit: Præſidemque Syriæ tunc datum. Idem anno ſequente, hoc eſt, imperii undecimo, cum Syriam luſtraret, id quod inter alia docet numiſma ΚΑΝΟΘ. L. ΙΑ. urbis Canathæ in Decapolitana, ut diximus olim, Syriæ regione, *Antiochenſes ita odio habuit*, inquit Spartianus, *ut Syriam a Phœnice ſeparare voluerit*, ut jam a Palæſtina ſejunxerat, *ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur.*

Rogas deinde, neque enim uno errore contentus es, an a Syria ſejuncta Cæſarea ſit. Hoc eſt quærere an Lutetia ſit divulſa a Galliis. Sed Palæſtinam, credo, pro Cæſarea dicere voluiſti. Rogas denuo, an Decapolim ſit complexa. Syria Palæſtina utique, Hadriani principatu: non item ſub Theodoſio juniore, Palæſtina: quo nomine Palæſtina prima intelligitur in Notitia Imperii. Fuit enim ſecundæ Palæſtinæ regio Decapolitana pars maxima. Vide quot a te admiſſa uno in nummo σφάλματα.

CALAGURIM non a Scipione, ut arbitraris, Naſſicam cognominatam eſſe.

NUMMUS Auguſti caput exhibet, cum epigraphe NASSICA, quam ibi non eſſe viri appellationem, uti ex Plinio indicaveramus, ipſe quoque agnoſcis: ſed oppidi ipſius cognomen potius, quod in averſa nummi area ap-

pellatur MV. CAL. IVLIA, hoc eſt, *Municipium Calaguris Iulia.* Plinius enim noſter, libro III. ſect. IV. *Calaguritani*, inquit, *qui Naſſici cognominantur.* Et vetus inſcriptio, teſte Ambroſio Morale, MVN. CALAGVRIS. IVLIA. NASSICA. Tu quid præterea conjicis, pag. 36. a Scipione Naſica videri id ei nomen inditum, quoniam is prætor in Hiſpania citeriore fuerit? quaſi vero Calaguritanis potius id nomen obtingere idcirco debuerit, quam aliis quibuſlibet ex eadem provincia: aut prætorum ſibi nomina civitates adſciſcerent: aut Naſſici geminata littera S a Naſica, cui verbo unica in Faſtis ineſt, cognominari poſſint. Suſceptæ me hic profecto jam operæ tædet, ac niſi tibi prodeſſe cuperem, indicando amice ac benevole ſaltem pauca quædam, in quibus offenderis, amico prorſus indignarer, qui me conviciis adegerit ſuis, ut tales nugas refellerem.

CARRHENORUM civitati dum ex duobus nummis ſecundæ metropoleos prærogativam adſeris, ne litteras quidem Græcas te noſſe.

MESOPOTAMIÆ metropoles duas exſtitiſſe, Emeſam & Carrhas, ex nummis probare tibi videris. De Emeſa ſuo loco viderimus. Carrhis interim ſecundæ metropoleos jus ac dignitatem vindicas duplici nummo: altero Elagabali,
30. pag. 113. tomi ſecundi: ΚΑ. ΚΟΛ. ΜΗ. ΠΟΛ. Δ. Ale-
31. xandri Severi altero, pag. 167. ΚΑΡΡΑ. ΚΟΛ. ΜΗ. ΜΕΣ.
Δ. Quos ſic interpretaris: *Κάῤῥα κολωνία μητρόπολις Μεσοποταμίας δευτέρα.* Quis te Græce legere magiſter edocuit? quis Δ pro binario nummo uſurpatum vidit? Digitis computa, Α. Β. Γ. Δ. Quot digiti ſunt? quatuor. Non & quatuor hæ litteræ ſunt? Quartam igitur metropolim hæc littera indicat: vel, quod eodem recidit, cum diſtributa in quatuor regiones eſſet ille tractus Meſopotamiæ, qui Romanæ ditioni ſuberat, ut Cappadocia in multo plures, quartæ Meſopotamiæ Carrhena civitas metropolis appellatur: ſic enim legendum, *Μεσοποταμίας τετάρτης.* Rogas quæ ceteræ metropoles fuerint, ſuorum quæque conventuum, juriſdictionum-

que capita ? Amida principatum tenuit : quamobrem metropolis Meſopotamiæ primæ appellatur in nummis, ut poſtea videbimus. Edeſſa, & Niſibis deinde conſecutæ. Nam quod Niſibin metropolim a Philippo creatam narras, pag. 248. vel hic Carrhenorum nummus id falſi coarguit : qui quartum in cenſu metropoleon locum obtinuiſſe Carrhas docet, jam inde ab Alexandri Severi principatu. In Notitia Eccleſiaſtica, Edeſſa & Carrhæ adſcribuntur provinciæ Oſrhoënæ, quæ multis Meſopotamiæ conſtat oppidis.

At ut in una provincia duas interdum metropoles probes exſtitiſſe, quod nec quiſquam negat, & nos ſubinde docuimus, nummum affers pag. 113. Tomitanæ urbis, *cum hac epigraphe ſecundæ Ponti*, inquis, ΤΟΜΕΩC. ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ. Δ. hoc eſt, ut interpretaris, *Τόμεως μητροπόλεως Πόντου δευτέρας*. Solerter, ut prius, & acute. Cujus ſolertiæ & illud eſt, quod tum pag. 348. in Gallieno, tum in Salonina, pag. 355. Β. ΝΕ. *βὶς νεωκόρος*, pro δὶς interpretare. Lege, ſodes, Πόντου τετάρτου. Hæres, & obſtupeſcis ? Patere a nobis hunc tibi ſtuporem eripi. Pontus in Aſia triplex : Polemoniacus, Galaticus, Cappadocicus : ſic enim a Ptolemæo, ut nunc omittam ceteros, appellantur. Quartus in Europa Scythicus eſt, cujus unica metropolis Tomi, Ovidii, ut diximus, exſilio celebrata. Tuam ipſius ſortem diſſutis, ſi libet, malis nunc ride, qui Tomitarum nummum, in quo ſimilis littera Δ occurrit, ad hoc tantum produxiſſe videris, ut prava ejus interpretatione priorem inconſiderantiam tanquam in ære ſcriberes.

CARTHAGINI attributum a te nummum eſſe, qui Cartennitanæ coloniæ ſit.

AUGUSTI principatu cuſum nummum affers, pag. 2. 32.
cujus in antica parte Julii Dictatoris vultus exprimitur, cum his litteris C. I. C. XXXVI. in altera Auguſti, cum iſtis, EX D. D. hoc eſt, ut paſſim monuimus, *Ex decreto Decurionum.* Hic tu nobis dicam impingis, quod hunc nummum olim coloniæ Iol Cæſareæ dedimus, quam a Claudio Plinius deductam agnoſcit : perinde quaſi, quod tu de Car-

Digitized by Google

thagine, aliiſque innumeris refers, non æque potuerit Cæſareæ obtingere, ut bis eo deducti coloni ſint. Sed iſta nunc omittimus: tu quid cenſes? legi ſcilicet oportere, *Colonia Iulia Carthago*, annumque XXXVI. intelligi, ex quo primum eo deducta a Julio colonia ſit. Dic, amabo, ecqua omnino colonia in occidente annos deductionis ſuæ ſignavit in nummis? In Oriente Sinopenſis quidem hunc morem habuit: at eundem ſemper tenuit: nullus eſt Sinopenſium nummus Latinus abſque hac nota. An tu Carthaginis alicui alteri nummo inſcriptam ſimiliter æram vidiſti? Quo ex uno argumento, hic nummus ſi Carthagini eſſet adſerendus, ceteri quinque, de quibus mox dicturi ſumus, quos eidem adſcribis, cum ab his ea nota annorum abſit, haud dubie eſſent eidem abjudicandi. At ubi in iſto præterea illa a nummis novæ Carthaginis diſcriminis nota? ubi illa littera A. qua tu in nummis C. I. C. A. Carthaginem Antiquam deſignari, quanquam falſo, putas? cur ab iſto uno abeſt? aut cur, cum abſit, ſi addi mos fuit, non alio ſpectare hunc nummum ſtatim agnoſcis?

Quo tandem, inquies? Dicam aperte: nec pudet enim priorem revocare ſententiam: nec licet tamen in tuam concedere. Lege ſecurus, *Colonia Iulia Cartenna*: & annum XXXVI. Jubæ regis intellige. Sic ipſius Cæſareæ, quæ nunc Algeriana civitas eſt, nummum laudavimus inſcriptum, REX. IVBA. ex parte averſa, CAESAREA. R. XXXII. hoc eſt, *anno regni* XXXII. In Juliæ Babbæ nummo, ſimilis atque in Cartennenſi annorum numerus notatur, C. I. B. XXXVI. quod civitates eæ tres eidem regi parerent. Cartennæ, & Babbæ, etſi utraque fuit ab Auguſto deducta, teſte Plinio, ut & C. I. V. hoc eſt, Valentia, de qua dicemus ſuo loco, in honorem Juliæ gentis, Juliæ prænomen adjectum eſt. Denique Jubæ junioris pariter nummi exſtant, cum epigraphe, REX. IVBA. & anno XXXX. in aliquibus XXXXII. & XXXXV. quos ipſi vidimus. Jamne intelligis hunc nummum, quem Carthagini adſerebas, Jubæ ditionis fuiſſe, hoc eſt, alterutrius Mauretaniæ: nec Tingitaniæ tamen eſſe poſſe, in qua Julia Conſtantia fuit: quippe quæ ditioni regum exempta, & jura Bæticam petere juſſa,

teſte

teſte Plinio : nec alteri proinde civitati omnino poſſe tribui, præterquam Cartennæ ? Quo de oppido Plinius, libro v. ſect. 1. *Cartenna*, *colonia Auguſti*, *legio ſecunda*, in Mauretania Cæſarienſi. Cartennas coloniam vocat in Itinerario Antoninus. In Notitia Africæ, inter epiſcopos Mauretaniæ Cæſarienſis, Lucidus Cartennitanus. Hodie *Aochora* dicitur.

CARTHAGINI Africæ adſcriptos a te nummos decem eſſe, qui ſint coloniæ Juliæ Corinthi.

NUNC ſcitum aliud ac feſtivum ingenii tui commentum refellendum eſt. Nummos decem Carthagini Africæ adſeris, quos nemo, niſi cœcus, eidem tribui poſſe credat, nemo harum rerum peritus non Corintho vindicet. Ex his tomo priore quinque continentur. Primus eſt, Agrippinæ ſenioris, pag. 140. inſcriptus, ut aïs, C. I. C. GENIVM. 33.
cum Fortunæ ſeu Genii Urbis effigie, quæ cornu copiæ gerat, ac temonem regat. Alter eſt Neronis, pag. 169. C. I. C. A. 34.
D. D. colono, ut quidem dicis, boves agente. Tertius, Antonini Pii, pag. 243. C. I. C. A. GENIO. P. R. cum Fortunæ, ſeu Genii effigie, ut in priore. Quartus, M. Aurelii, 35.
pag. 257. C. I. C. A. D. D. lupa gemellos lactante. Quintus & poſtremus, Commodi, pag. 302. C. I. C. A. D. D. in quo triremis picta cum remigibus.

Ac de primo quidem ſic pronuntias, pag. 141. C. I. C. GENIVM. *Coloniæ Iuliæ Carthaginenſis Genium. Has litteras initiales* C. I. C. *ad coloniam Iuliam Carthaginem in Iulii nummis pag. 2. revocavimus*, eo nempe nummo, quem ad Cartennam referendum eſſe proxime monuimus. *Carthaginenſes*, inquis, *Agrippinam tanquam Deam colentes, urbem ſuam ſub ejus genii tutela poſitam denotant, ipſam ſub Fortunæ effigie Genium appellantes, ut ipſi Antoninum Pium pariter Genium populi Romani infra in nummis vocarunt.*

De altero, pag. 169. C. I. C. A. *Colonia Iulia Carthago Antiqua. In nummo Antiqua perhibetur, ad diſtinctionem Carthaginis Hiſpaniæ, quæ nova appellata eſt.*

De tertio, pag. 243. C. I. C. A. *Colonia Iulia Carthago Antiqua. Has notas*, C. I. C. *Colonia Iulia Carthago*,

Digitized by Google

interpretati ſumus : additur in hoc nummo A, *id eſt*, *Antiqua*, *&* *non Auguſta*, *ut in Treboniano Gallo videbimus.*

De quarto, pag. 257. C. I. C. A. *Colonia Iulia Carthago Antiqua.* Et pag. 258. *Litteram* A. *Antiquam potius quam Auguſtam interpretati ſumus ob nummum Treboniani Galli*, *in*
36. *quo duo* AA *ſubſequenter ſcripta ſunt.* C. I. C. A. A. P. *Colonia Iulia Carthago Antiqua Auguſta Pia*, *quæ alio modo explicari poſſe non videntur.* De poſtremo nihil novi dicis : ſolam exhibes interpretationem earum litterarum, C. I. C. A. pro tuo more, *colonia Iulia Carthago antiqua.*

Quinque reliquos poſterioris tomi fruſtra videar commemorare, cum iiſdem ſint ſymbolis inſigniti. Loca tamen dumtaxat indicabo. Primus occurrit in Geta, pag. 77. cum Genii effigie, qui cornu copiæ geſtet utraque manu. Alter in Elagabalo, pag. 114. Similiſque prorſus in Philippo juniore, pag. 268. lupam cum Remo & Romulo exhibet : triremim quartus in eodem Philippo, pag. 269. ut & poſtremus in Treboniano, pag. 305. In duobus porro poſtremis nos acriter ac vehementer objurgas, qui nolimus ſic eos legi, *Colonia Iulia Carthago Antiqua Auguſta*, cum ſint inſcripti, C. I. C. A. A.

Negas autem, quæ gravior accuſatio eſt, pag. 282. tomi prioris, negas, inquam, nobis fuiſſe ullum cum rei nummariæ ſtudioſis ſermonem aut commercium. Proh ! tu quot & quam inſignia errata ex opere tuo expunxiſſes, ſi cum eruditis ſæpiuſcule iis de rebus ſermonem contuliſſes ? Tu Carthaginem Africæ antiquam appellatam putas ? quo argumento ? quo teſte ? Plane nullo. Quin potius Magna eſt appellata in nummis ? nam id nomen habet apud Plinium & Ptolemæum, ut Liberatum Diaconum Carthaginienſem, in breviario, cap. XX. & reliquos nunc omittam. Ille libro V. ſect. III. *Colonia Carthago*, inquit, *Magnæ in veſtigiis Carthaginis.* Et ſect. I. commendat urbem majorem *Carthagine Magna.* Iſte libro IV. Καρχηδόνα μέγα ἄστυ vocat. Antiquam nemo appellat : ac ſi quis e ſcriptoribus appellaret, non continuo in nummis id vocabulum ſignaretur, cum alia ſuppetant inſignia aut cognomina, quibus ſecerni oppidum alterum ab altero poſſit ac ſoleat.

Digitized by Google

At *illa antiqua perhibetur*, inquis, *ad diſtinctionem Carthaginis Hiſpanicæ*, *quæ nova appellata eſt*. Erras iterum, mi Valens, vehementer, dum putas Carthaginem novam appellatam eſſe, ut ab Africana ſecerneretur: non ea cauſa fuit hujus appellationis. Fuit in ipſa Hiſpania, ſi neſcis, Carthago gemina: altera Καρχηδὼν παλαιὰ, Carthago antiqua: hodie *Cantaveja*: altera, Καρχηδὼν νέα, Carthago nova, dicta Ptolemæo: nunc *Cartagena*. Egit de utraque etiam Plinius noſter: quem ſi legiſſes paulo accuratius, famæ tuæ & exiſtimationi, exploſa e nummis Carthagine antiqua, conſuluiſſes.

Quo referri igitur jubeam hæc numiſmata quinque ſi percontaris, exponam eadem illa facilitate, quam tu jam olim expertus: dicam id in aurem, ſemotiſque arbitris, ne quis ſi exaudiat, te deinde de inhumanitate poſtulet. Meminiſtin enim, cum per litteras nobiſcum ageres, gratiamque ſubinde haberes de difficilibus nummorum ænigmatis ſolutis, Oedipumque me, aſſentatorie ſcilicet, appellares? Nunc igitur æque me facilem noris, nec mutatis moribus. Oedipum nunc pariter voces, an neges, parum laboro. Ac Cæſarauguſtæ quidem, quod olim ſuſpicabar, nihil hic eſſe loci, patior ac ſino: non quia allata a te ratio ſic ſuadet: quid enim dici levius, ſi te ipſum audimus, quid imbecillius poteſt? Nam ſi Julia Cæſarauguſta dicta non eſt, expungatur ea ſane vox: quid ſi *Colonia Immunis Cæſarauguſta* dicatur? cum totidem verbis appelletur a Plinio, æque atque Illicitana, cui idcirco illud prænomen cum aliis adſeris: quid erit tibi deinde reliquum quod opponas, ut Cæſarauguſtæ nummum abjudices? Verum tricari adeo nolim, ut nec Latine liberam, quod antea monui, nec immunem dici civitatem ullam in nummis nunc æquo animo feram. Quare ſi nummus Uticenſis occurrat noſtro nitidior, non in eo legi putarim, IMMVNIS. VTICENS. quod ſuſpicatus ſum pridem pag. 519. Sed M. MVNIC. VTICENS. hoc eſt, *Municipes Municipii Vticenſis.*

Verum ad nummos quinque tomi prioris, de quibus eſt præcipue controverſia, revertamur: quos de colonia Julia Corintho, ſive de colonia Julia Corintho Auguſta, accipiendos

ſtatuimus. Nam Auguſtæ nomen ſub Nerone primum ap- paret: & in nummo Hadriani, ipſo te teſte, pag. 226. COL. IVL. AVG. COR. appellatur. Juliæ denique nomen, ne te hic quoque ſcrupulus angat, ab Auguſtæ appellatione interdum ſejungitur, ut in tuo Hipponenſium nummo, pag. 272. C. G. I. H. P. A. & in Illicitano, C. I. I. A. ut dicemus.

Quid fiet, inquis, Treboniani nummo, in quo A gemi-
36. natur? C. I. C. A. A. P. Leges, ſi me audis, *Colonia Iulia Corinthus Auguſta Antonina Pia*, ab Antonino Pio. Neque enim ante hujus tempora geminatam hanc litteram A in Corinthiorum nummis offendes, aut omnino poſtremam P. Ut Corinthus autem Julia & Auguſta & Antonina, vel Antoniniana: ſic apud Ligorium, COL. APROS. TITIA. AELIA. HADRIANA. ANTONINA. AVGVSTA vocatur: tametſi paulo aliter legi oportet, ut dicemus. Quare cum denuo, ſi caſu id aliquo fiat, opus tuum reddes incudi, editionemque alteram meditabere, vide ut palinodiam canere memineris, & quos Carthagini nummos adſcripſiſti, patriæ ſuæ, hoc eſt, Corintho, reſtituas.

Ac primus quidem nominatim, qui eſt Agrippinæ ſenioris,
33. inſcriptus C. I. C. GENIVM, quin ſit in eadem civitate conflatus, in quo & tertius Antonini, cujus epigraphe,
35. C. I. C. A. GENIO. P. R. nec ipſe dubitas, nec ſinit ambigere eadem Fortunæ ſeu Genii expreſſa in utroque imago. At huic quam ſimilis Fortunæ effigies ſit in Corinthiorum nummo, quem ſub Octaviæ nomine repræſentas,
37. pag. 182. facient oculi ipſi fidem.

Quod tamen adjicis de Agrippinæ cultu tanquam Deæ apud Carthaginienſes, aut Antoninum Pium populi Romani Genium eſſe appellatum, figmentum eſt. Genio ſeu Fortunæ populi Romani, cujus ſimilitudinem, qua pingi forma ſolet, nummus exhibet, res fortunaſque ſuas committere ſe Corinthii præ ſe ferunt: nihil ultra. Genium, Fortunamve populi Romani, vel Cæſaris, non ipſum populum, Cæſaremve, ſed τόνδε τοῦ δαίμονα ethnici appellavere, ſub cujus tutela populus Romanus, aut Cæſar, foret. Hinc Chriſtianis religio fuit, per Genium Fortunamve principis jurare, quod id eſſet

ὀμόσαι δαίμονα : itaque per ſalutem principis jurare maluere. *Sed & juramus*, inquit Tertullianus, in Apologetico, cap. XXXII. *ſicut non per Genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum, quæ eſt auguſtior omnibus Geniis. Neſcitis Genios dæmonas dici, & inde diminutiva voce, dæmonia?* Ethnici contra, ut idem aït, cap. XXXV. *ſub ipſa uſque impietatis eruptione & ſacra faciebant pro ſalute Imperatoris, & Genium ejus dejerabant*, nempe δαίμονα Cæſaris cuſtodem, non Cæſarem ipſum. Nam, ita prodente Origene, libro VIII. contra Celſum, pag. 421. τὸν Ῥωμαίων βασιλέως τὸν δαίμονα ὄμνυσιν οἱ τὴν ΤΥΧΗΝ αὐτοῦ ὀμνύοντες. *Per Romani principis dæmonem jurant, qui per ipſius Genium jurant.* Et rurſum ibidem : δαιμόνων ἐστὶν ἡ ὀνομαζομένη ΤΥΧΗ τοῦ βασιλέως. Quare Polycarpus Epheſinus antiſtes, apud Euſebium, libro IV. cap. XV. juſſus a Proconſule, Ὄμοσον τοῦ Καίσαρος τύχην : ſe religione prohiberi reſpondit. Ac poſtea Origenes eodem ſpectavit, cum in Exhortatione ad Martyrium, grande ſcelus eſſe diceret, ſi quis per Fortunam alicujus juraret : πηλίκον ἁμάρτημα εἶναι νομιστέον, τὸ ὀμνύναι ΤΥΧΗΝ τινός ; Vide ergo quos auctores ſecutus habitum a Carthaginienſibus aliiſve pro Genio, hoc eſt, ὡς τὴν τύχην, vel ὡς τὸν δαίμονα, ſive Antoninum, ſive Agrippinam, affirmes : cum alium a principe genium principis gentiles ipſi agnoverint. Vereor autem ut priorem nummum habueris integrum, aut legeris : cum res ipſa poſcat legi C. I. C. A. GENIVM. P. R. ſubaudita voce, *ſalutat*, vel *veneratur*; ut ſæpe in nummis Græcis lapidibuſve monuimus ſubintelligi vocem ἐτίμησεν, vel ἐτίμησαν.

Secundus, qui Neronis, & quartus, qui M. Aurelii nomine inſignitur, nihil habet præter ſolitas coloniarum notas. In quinto, qui Commodo dicatus eſt, triremis inſculpta cum remigibus viſitur, indicium adventus Auguſti in urbem Corinthum, perinde atque Neronis in nummis tum Corinthiorum apud teipſum, pag. 175. tum Patrenſium ſimili 38.
plane forma, pag. 177. id quod ibi docet adjecta epigraphe, 39.
ADVENTVS AVGVSTI. Corinthum porro Commodus adveniſſe merito creditur, quando in Syriam & Ægyptum cum patre profectus eſt, jam Imperator appellatus decreto Senatus, ut Lampridius prodidit.

Quare ne multa deinceps jura miſceas, ſic habeto: ſecernendos diligenter eſſe nummos, quorum eſſe in epigraphe ſimilitudo aliqua videatur: inſcriptos exempli gratia, C. A. vel C. C. A. tum C. I. C. & C. I. C. A. vel C. I. C. A. D. D. Nam ubi C. A. in laurea, vel quomodocumque C. C. A. occurrit, Duumviris appellatis, Cæſarauguſta eſt. C. I. C. cum anni nota, Cartennam deſignat. Abſque ea nota, vel C. I. C. A. ſive ſolitarie, ſive adjectis litteris D. D. Corinthum ſignificat.

CARTHAGINI eidem a te duos alios adſcribi nummos, qui tametſi nullum aperte nomen præferunt, tamen Corinthiorum videntur eſſe: certe Carthaginienſium omnino non ſunt.

44. SUNT & duo alii, quos inter incertos rejicis: alter Auguſti, pag. 71. cum hiſce Duumvirum nominibus, C. LOLLI. M. DOM. IIVIR. ITER. Imperatoris ſtatua baſi impoſita cernitur, cui adjecta epigraphe, P. S. S. C. Alter Tiberii eſt, pag. 131. cum iiſdem Duumviris, ceteriſque inſignibus. Sic tu vero interpretaris, ſumpto a baſi ſtatuæ legendi initio, præpoſtere admodum ſcilicet: *Poſuere Suffetes Carthaginienſes, Caïo Lollio, Marco Domitio, Duumviris iterum.* Apage porro cum tuis Suffetibus. Quid enim egere Suffetes Carthagine, cum Duumviri ibi eſſent? non Suffetum loco, Conſulumve, ut ipſe poſt alios doces, pag. 34. Duumviri in coloniis fuere? Hæc te tirones edoceant, quos ad illam tuam interpretationem repente inclamaturos recte auguraris. Non inclamabunt eruditi ac veterani, ſed miros riſus edent. Abde tuum illud præclarum ſomnium de Suffetibus Carthaginienſibus, addicitoque tenebris, quas meretur, antequam id ſive tirones, ſive veterani, reſciant. Mecum lege, ſodes: *C. Lollius, M. Domitius, Duumviri iterum, poni*, vel *ponendum ſuo ſumptu curavere*, ſtatuam Auguſti, vel Tiberii ſcilicet, qualis in nummo repræſentatur. Quid planius? aut quid magis tritum ac ſolenne in baſi ſtatuarum? Sic apud Gruterum inter cetera exempla, pag. CCCXCV, 8.

Digitized by Google

S. P. P. C. *Sua pecunia ponendum curavit:* cui quam iſta tua ſimilis inſcriptio eſt? Hæc habet, S. P. P. C. Tua, P. S. S. C. utraque certe eodem intellectu. Ac ne de plurali verbi numero dubites, vide eundem Gruterum, pag. CLXVIII, 6. S. P. F. *ſua pecunia fecerunt.* Et pag. CLXXII, 3. S. C. F. C. *Senatusconſulto faciendum curavere.* Denique de duplici S. S. ne quis tibi ſcrupulus hæreat, eundem tibi rurſum librum indicabo, pag. CLXVII, 8. D. S. S. FACIVNDVM. COIRAVERE, *de ſuo ſumptu faciundum curavere.* Sic pag. XCIII, 1. D. S. I. P. C. *de ſua impenſa ponendum curavit.* Quod ſi quis autem legi malit, *Pecunia ſua ſtatuendum curavere*, nihil intereſt: neque nos, quoniam ſententia utraque eodem recidit, valde reluctabimur.

Quo jam docebis probabili argumento Carthagine cuſum utrumque nummum eſſe? At Corinthi eſſe non iſtum modo, ſed & complures ex his quos in incertis reponis, ſi diligenter inſpicias, intelliges, ſive ex fabrica, ſive ex Duumvirum nominibus: præter unum, cujus hanc inſcriptionem refers, pag.
79. SALVS. AVGVSTA. PERM. AVG. quem 40.
ſi cum Italicenſi conferas, pag. 75. ſi ſpecular admoveas,
obſervabis haud dubie vel formam Hiſpanicam, vel quod 41.
verius arbitror, Romanam, curante patrono coloniæ Itali- 42.
cenſis, ut Romæ cuderetur. Eodem certe utrumque loco 43.
conflatum mecum confitebere, quod neſciſti. Fuere ſcilicet in Urbe coloniæ cujuſque patroni, quorum opera cuſos eoſdem nummos fuiſſe in officina Romana, atque in ſua colonia, non ambigimus, eodem Senatuſconſulto ac permiſſu principis, quo apud ſuos conflabantur.

CARTHAGINI NOVÆ in Hiſpania ſex attributos a te nummos eſſe, qui ſunt coloniæ Norbæ Cæſarianæ.

AN non jam vereris ne pulſus ab antiqua Carthagine, a nova pariter cum dedecore dejiciare? merito ſane. Nam ubi in nummis uſquam novæ vel antiquæ urbis hoc ſenſu appellatio? præterquam in nummo Laudis Novæ, ſi

Digitized by Google

tamen Sponio fides, a quo uno nummum hunc laudari dixi-
mus, quem tu neglexiſti, tametſi colonia inſcribitur: aut cur
in Carthaginis antiquæ nummis ſemper, ſi tibi fides ſcilicet,
ea vox poſtponitur nomini, ſemper in nummis Carthaginis
novæ præponitur? Nam ſex quidem adfers nummos ejuſ-
45. cemodi. Primus eſt, M. Antonii, pag. 10. C. I. N. C.
EX. D. D. inſculpto M. Antonii capite, cum labyrintho. In
parte poſtica nummi, M. AIMILIO. T. FVFIO. IIVIR.
46. cum Auguſti vultu. Alter Auguſti, pag. 38. C. I. N. C. ex
parte autem averſa, C. PETRONIO. M. ANTONIO.
IIVIR. EX. D. D. cum labyrintho. Tertius, ejuſdem
47. principis, pag. 39. V. I. N. K. P. TVRVLB. IIVIR.
48. QVIN. In altera nummi area templum Auguſti, cujus in
ſuperno limine, AVGVSTO. In ambitu vero, V. I. N. K.
49. M. POSTV. ALBINVS. IIVIR. QVIN. ITER.
Hoc eſt, te interprete, *Victrix Iulia Nova Carthago, M.
Poſtumius Albinus Duumvir Quinquennalis iterum.* Quartus,
Auguſti ſimiliter, pag. 40. quem, tametſi oppidi nomen abeſt,
ex Duumviri nomine ad eandem colligis civitatem ſpectare.
M. POSTV. ALBIN. L. PORC. CAPIT. IIVIR. Q.
Quintus eſt Neronis & Druſi Cæſarum, pag. 143. NE-
RO. ET. DRVSVS. CAESARES. V. I. N. C. Ex
parte altera, Tiberii vultus & epigraphe, TI. CAESAR.
&c. Sextus denique ac poſtremus Caligulæ eſt, pag. 149.
cujus in averſa area, SAL. AVG. CN. ATEL. FLAC.
50. CN. POMP. FLAC. IIVIR. Q. V. I. N. C. cum
muliebri capite. *Saluti Auguſtæ. Cneio Atellio Flacco, Cn.
Pompeio Flacco, Duumviris Quinquennalibus, Victricis Iuliæ
Novæ Carthaginis*, ut tu quidem interpretaris. Vide autem
ne te amicorum aliquis impellat in fraudem, atque in de-
fenſionem erroris tui, vel Mediolanum apud Gruterum, pag.
CLXXVII, 4. *Novas Athenas* dici, vel pag. CCXXXVIII, 7.
Novam civitatem Aruccitanam, aliudve ſimile aliquid ſug-
gerat. Quam diſpari enim ibi ſignificatu ea vox *Nova* ac-
cipitur? cum in priore non proprium civitatis, ſed adſciti-
tium nomen comitetur; in altero reſtitutam ex collapſa &
jacente ſignificet. Quo ſenſu niſi Juſtinianæ novæ quinque
appellentur in Concilio V. Oecumenico, adſignandæ tibi
erunt

Digitized by Google

erunt Juſtinianæ antiquæ totidem, quæ novis ex adverſo reſpondeant.

Dic jam, amabo, Caii ac Lucii Cæſarum nummus ille, quem refers pag. 87. cujus in poſtica area Auguſti vultus ex- 51.
preſſus, eaque inſcriptio, AVGVSTVS. D. D. C. C. N. C. cujuſnam oppidi eſt? Coloniæ Concordiæ Norbenſis Cæſarianæ, inquis: & recte quidem: ſic enim & nos ante monuimus, pag. 363. operis noſtri de nummis. Jam in priore 52.
nummi parte, quæ Caii ac Lucii capita exhibent, quibus Duumviris nummus conflatus dicitur? M. PETRONIO. C. IVLIO. ANTONIO. IIVIR. Vide jam an non iidem appellentur in altero nummo ex his, quos novæ Carthagini adſcribis: ac num vitio ſcalptorum, vel tuo, eorum prænomina ſint temere permutata. Sic enim ibi leguntur: 47.
C. PETRONIO. M. ANTONIO. IIVIR. EX. D. D. Quam id ſimile porro veri eſt? Ut ut eſt autem, ejuſdem plane ii familiæ ſunt. Quare, niſi velis eoſdem fuiſſe Norbæ Duumviros, & Carthagine, vide ne cuncteris, tum in iſto, tum in reliquis Norbam Cæſarianam, pro Nova Carthagine, quæ locum in nummis habere non poteſt, agnoſcere. Plinio, libro IV. ſect. XXXV. *Colonia Norbenſis Cæſariana cognomine:* hodie *Alcantara:* quondam Luſitaniæ, nunc Caſtellæ veteris oppidum. Huic & Concordiæ & Victricis Juliæ prænomina nummi adſerunt: ſed poſterius cuſi, qui coloniæ appellationem habent. Scribi autem Cæſaris nomen interdum per K, ut & Kæſonis, & Karthaginis, aliaque, tralatitium eſt. De Noba Cæſaris, oppido Numidiæ, unde Victorinus epiſcopus appellatur in Notitia Africæ, nummos accipi vetat, præter Duumvirum, quæ dixi nomina, aliaque argumenta, caput muliebre in poſtremo ſignatum, quale in nummis Hiſpaniæ pingitur, ut urbis Genium repræſentet: qua de re in Numantiæ reſtitutæ nummo dicturi ſumus.

L

COELIENSI municipio in Thracica Cherroneſo qui nummi tredecim debentur, hos Africano municipio a te ſine cauſa adſignatos eſſe.

53. NUMMI omnino tredecim a te adferuntur inſcripti, AEL. MVNICIP. COEL. ac tomo quidem priore tres, poſteriore ceteri. In Antonino Pio, pag. 143. in Commodo, pag. 303. in Caracalla, pag. 41. in Macrino pag. 92. in Philippo juniore, pag. 269. cum prora navis & cornuco-
54. piæ. In Alexandro Severo, pag. 167. AEL. MVNICI. COIL. A. & in Philippo patre, pag. 229. cum ſimili ſymbolo.
55. In L. Vero, pag. 285. & in Treboniano, pag. 306. AEL. MVNICIP. COEL. cum lupa & Remo ac Romulo. In Caracalla, pag. 43. AEL. MVNICIPI. COIL. cum Dianæ venatricis effigie. Pag. 44. AEL. MVNICIP.
56. COIL. ANT. item in Elagabalo, pag. 114. & in Gordiano III. pag. 206. cum Sileno, ut tu quidem vis: nam quid revera ſentiendum ſit, mox dicemus.

Cui tu porro oppido hos nummos adſcribis? Ei plane, cui nemo ſanus putarit hic locum deberi. Cullitano videlicet Numidiæ municipio, quod Plinius Cullu, Itinerarium Antonini Chulli, Κόλλυ Ptolemæus appellat. Quo ex nomine nomen gentile *Cullitanus* deducitur. Unde Victor Cullitanus Catholicus, & Fidentius Donatiſta, in collatione Carthaginienſi, cap. CXXVI. & CCI. idemque denuo Victor Cullitanus in Concilio Milevitano II. anni CCCCXVI. Quantam, Deus immortalis, hoc loco εὐστοχίας, ſolertiæque tuæ jacturam paſſus es! An enim vel Græca omnino, vel Latina hujuſce vocabuli ſcriptura tuæ interpretationi ſuffragatur? Quis ex Cullu Coëllitanum, vel Coëllutanum, niſi deſipiat, finxerit? Cur cum genuina atque ordinaria ſit appellatio Cullu, ne ſemel ea quidem in tot nummis occurrit? Ut dicam libere quod ſentio, nihil fingi abſurdius tali figmento poteſt: nec puto chimæram ipſam eſſe monſtrificam magis. Vetuſtiſſimis temporibus dictum *Pœnicio bello* pro Punico, in inſcriptione Gruteri, pag. XII. non neſcii ſumus: COIRAVERE item pro CVRAVERE, aliaque ſimilia quædam: ſed

& pauciſſima, & optimis jam reipublicæ temporibus obſoleta, neque ſub Auguſtis, in nominibus præſertim propriis, ſive hominum, ſive oppidorum, unquam uſurpata.

Quod ſi cui talis condonanda divinatio eſſet, cuivis alteri juſtior venia deberetur, quam tibi, qui egregius harum mercium & callidus negotiator haberi, multoque peritior dijudicandæ fabricæ arbiter & æſtimator videri cupis. Non eſt ea merx Africana, mi Valens: advecta e Thracica Cherſoneſo eſt. Vidiſti unquam in Africæ nummis Dianam venatricem? Silenus etiam ille tuus, quem in tribus municipii hujuſce nummis videre eſt, an alibi quam in Oriente, hoc eſt, apud Græcos occurrit? In Thracia nempe, Deulti, & in iſto, quod nunc commemoramus, municipio. In Syria, Beryti, Boſtræ, Damaſci, Laodiceæ ad Libanum, Neapoli Samariæ, Tyri. In Phrygia, Troade.

Redde ergo Græcis nummos ſuos, Thraciæ nempe Cherſoneſo, ubi Cœla oppidum fuit, Ammiano memoratum, libro XXII. pag. 212. Græce, τὰ Κοῖλα. Sic enim Nicetas Choniates libro V. de rebus Manuelis Comneni: Κατάγεται εἰς τὰ Κοῖλα, ταῦτα δὴ τὰ περὶ Σηστόν τε καὶ Ἄβυδον. Quare Ammianus de Ægeo mari, *Cœla præterlabitur, & Seſton.* Hinc & in actis concilii Epheſini, Cyrillus Cœlorum epiſcopus recenſetur, act. I. ex Mario Mercatore, quem vir Clariſſ. idemque nobis amicitia conjunctiſſimus Stephanus BALUZIUS edidit: ubi libri alii, pag. 541. male Πυλῶν & *Pylarum*, pro Κοίλων & *Cœlorum*, habent. Similiter actione IV. pag. 692. idem Cyrillus epiſcopus Cœliorum inſcribitur. In Concilio Nicæno II. act. VII. Λεωνίδης ἐπίσκοπος Κοίλων. Portus Cœlos a Plinio noſtro dicitur, libro IV. ſect. XVIII. ut & a Mela, libro 2 cap. 2. *Eſt & portus Cœlos, Athenienſibus & Lacedæmoniis navali acie decernentibus, Laconicæ claſſis ſignatus excidio.* Portum fuiſſe illis temporibus annonæ ubertate commendandum, cum nummi quinque admonent, in quibus prora depicta cum cornu copiæ: tum ipſa municipii prærogativa civibus conceſſa, quo magis eſſet Urbi obnoxia civitas. Idcirco & Ælium ab Hadriano appellatum municipium eſt, & a Caracalla Antoninianum. Latine autem inſcripti municipiorum nummi fuere, eo jure, quo & coloniarum. Ut deni-

Digitized by Google

que colonias multas ex ſolis nummis novimus, ſic & municipia.

Apud Ptolemæum libro III. cap. XII. Κύλλα, Σηςὸς, in Helleſponto ſcribitur. In Chronico pariter, quod Alexandrinum vocant, inter urbes quinti climatis, numerantur Χεῤῥόνησος, Κύλα, Σηςὸς. Utrobique Κοῖλα reſcribe. In Notitiis duabus Eccleſiaſticis Κύλα ſimiliter perperam, in tertia Κοιλία ſcribitur, in provincia Europæ, ſub Heraclea metropoli. At multo corruptius in epiſtola ſynodica provinciæ Europæ ad Leonem Imp. tomo IV. Conciliorum, pag. 906. *Theotecnus epiſcopus Cyclenſis*, pro *Cælienſis*.

Jam, opinor, intelligis legi in nummis oportere, AELIVM MVNICIPIVM COELIENSE. Neque nos certe pudet profiteri, qui municipium Cœlium olim dicebamus, veriſſimam illam eſſe Pindari ſententiam in Olympiacis:

Ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι.

Te miror, qui nummos inſpexiſti, nunc in eis COEL. nunc COIL. agnoſcere: quod vitio potius oculorum tuorum, quam monetarii, imputo. Quanquam in oppido Græco nunc OE, nunc OI ſcribi non eſt fortaſſis quod miremur, cum poſterior ſcriptura ſit ipſa Græco nomini τῶ ΚΟΙΛΑ, propior atque affinior.

Sed quis riſum contineat, cum te affirmantem audierit, tum tomo priore, pag. 244. tum poſteriore, pag. 43. inſcriptionem Gruteri, pag. CCCLXII. MVNICIPES. MVNICIPII. CIVILITANI. ad oppidum Numidiæ Cullu ſpectare? Egregium originationum artificem! Ex Cullu igitur fiet non modo Coëllitanum, & Coëllutanum, & Coïllutanum, ſed & Civilitanum. Ducetur hac via ovum ab ove, & quodlibet demum ex quolibet. Nos in Plinianis notis, tomo I. pag. 496. quod ad Cibilitanos Luſitaniæ populos, quos Hadrianus municipes fecerit, eandem retulimus, reprehendis. Hoc illud eſt quod fert parœmia, cornicum oculos configere. Sed tuos ipſe confodiſti: dum putas nihil nos vidiſſe, effeciſti ut nihil videres. An putas differre Cibilitanos a Civilitanis? aut has litteras in nummis, nominibuſque propriis non permutari? Ut omittam cetera monumenta, documentaque, quæ ſunt innumera, nummos vidiſti, quos

cum vetere inſcriptione laudavimus pag. 134. ſic inſcriptos, DANVVIVS? an tibi Danuvius alius a Danubio eſt?

Et Civilitanum igitur oppidum municipii civium Romanorum prærogativa Ælius Hadrianus Imp. donavit, & ſuo nomine honeſtavit: nam prius, teſte Plinio noſtro, libro IV. ſect. XXXV. unicum in univerſa Luſitania municipium Oliſipo fuit: & in Thracica Cherroneſo Cœlienſe municipium pariter civium Romanorum eſſe voluit, ſuo ſimiliter nomine impertito.

Sed ad illum tuum Silenum veniamus, quem in Caracallæ, 56.
Elagabali, & Gordiani nummis pictum credi jubes: noſque, quod aliter ſentimus, ter quaterve pro more increpas. Conſueſti enim, ſi quid in nobis dignum virgula tua cenſoria judicas, id non ſemel, ſed paſſim ac ſæpiſſime inculcare: quo ſumma erratorum noſtrorum, quam in Indice repræſentas, major videatur. Sed de Sileno tuo nunc agamus. Tuam illam fidem, VALENS, obteſtor, quam præfers in nomine: tuos illos oculos, quibus in nummorum iconibus probe diſpiciendis tantopere gloriaris, hiccine Satyrus eſt? Nam Sileni, ſi neſcis, e Satyris ſunt natu maximi. Τοὺς γὰρ ἡλικίᾳ τῶν σατύρων προήκοντας ὀνομάζουσι Σειληνοὺς, inquit Pauſanias in Atticis, pag. 21. Vir nudus, ſaccum humero geſtitans, dextra nunc ad templum, nunc in cælum ſublata, nunc eodem ſitu atque habitu in templo ſtans, ut in Damaſceno Otaciliæ nummo, hunc tu exiſtimas Satyrum aut Silenum eſſe? Non colonus ille potius, municepſve cenſendus, Deos exorans, pro Principis incolumitate, a quo in maximis rerum difficultatibus beneficio ſe aliquo recreatum agnoſcit? Aſtutius aliquid ſubtiliuſve cogitando, mihi crede, facies nihil ut recti cogites.

CORINTHIORUM nummis impreſſa ſymbola a te infeliciter explicata fuiſſe.

JAM in Corinthiorum numiſmatis, pag. 262. & 263. cur Hercules ſit depictus, non dicis: tametſi pro more plurima de Hercule prorſus otioſa, hoc eſt, περίεργα & πάρεργα dicis. Cauſam ab Antonino Liberali, cap. V. Metamorph.

accipe. Corinthios omnes ſcilicet genus ab Hercule ducere. Κορίνθιοι γὰρ πάντες εἰσὶν ἀφ᾽ Ἡρακλέους.

Nec vero Corinthii ſolum illius numinis tutela ſunt ac patrocinio gloriati. Ut ceteras prætermittam civitates, in eodem fere tractu poſita Ambracia, tali patrono ut potiretur, fabulam finxit, quam recitat, ut diximus, pag. 37. operis noſtri de nummis, Antoninus idem Liberalis, libro Metamorph. cap. IV. certaſſe Apollinem & Dianam cum Hercule de tutela oppidi: Crangaleum vero Dryopis filium civitatem Herculi adjudicaſſe, atque ob eam rem mutatum illum ab Apolline in ſaxum fuiſſe. Hic ille judex porro eſt, de quo Ovidius, libro XIII. Metamorph.

Regnum fallacis Vlyſſi
Præter erant vecti: certatam lite Deorum
Ambraciam, verſique vident ſub imagine ſaxum
Iudicis, Actiaco quæ nunc ab Apolline nota eſt.

Quo loco vel ſilent interpretes, vel quis cujuſve certaminis judex ille fuerit, neſcire ſe fatentur. Sed illud de Herculis patrocinio obiter: quod idcirco eſt commemoratum a nobis, ut cum ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΩΝ nummos tractabis, in eo opere quod aïs te moliri, tunc ſaltem aliquid a nobis didiciſſe te profiteare.

Pag. 201. Neptunus ſcopulo inſidet, delphinum utroque pede premit: offert commendatque puerum Melicerten, ſive Palæmonem, Ino mater Neptuno. Nota ex Pauſania ſive hiſtoria, ſive fabula eſt: quam nos recitavimus in libro de nummis antiquis, pag. 124. Tu horum loco Amphitriten obtrudis, quæ puerulum, inquis, ulnis gerat: quem porro? neſcis: ac deinde de nuptiis Amphitrites multa hoc loco aliena effundis, & ut leviſſime dicam, inutilia. Sed te tamen poſtea intelligo in indice tomi ſecundi palinodiam ceciniſſe: lectis forte paullo attentius iis, quæ nos citato proxime loco edidimus.

Mitto de altero Domitiani nummo dicere: quem cum, ut decuit, Corinthiis adjudicas, in eo tamen legis, pag. 200.
57. PERM. IMP. GERM. *Permiſſu Imperatoris Germanici.* Quæ locutio cum videatur eruditis, tum a bono ſenſu, tum ab uſu vetere & a conſuetudine Latini ſermonis prorſus

abhorrere, tamen hic oculorum judicio ſtandum confitemur. Attentius igitur inſpice, ac vide num legi neceſſe ſit, PERM. IMP. CORIN. *Permiſſu Imperatoris. Corinthi.* Ut in anteriore nummo, eadem pagina, ſolo vocum ordine immutato, COR. PERM. IMP. *Corinthi. Permiſſu Imperatoris.* Fallor, aut ex CORIN. feciſti GERM. proclivi errore.

Adi ergo theſaurum regium: nullibi enim in toto orbe major copia numiſmatum eſt. Habes autem illius gazæ cuſtodem & eruditione & comitate ſingulari præditum, omnium conſenſu digniſſimum ea præfectura, V. Cl. D. Rainssantium, in quo gratificandi omnibus liberalis voluntas ineſt. Nam hac celebritate famæ, tum eruditorum cœtui, tum nobis etiam, quibus nondum licuit ſuaviſſimo viri conſpectu aut ſermone frui, eſt ille notiſſimus. Tibi peramanter ac perofficioſe ſpatium dabit, ut ſingula diſpicias. Quod poſtquam feceris, nobis quin aſſentiare, teque lapſum errore agnoſcas, plane non ambigimus.

D

Damascenorum nummos duos multo felicius a nobis, quos immerito reprehendis, quam a te fuiſſe explanatos.

Sub Treboniano cuſum numiſma refers pag. 308. tomi poſterioris, ac ſimile prorſus alterum, pag. 320. ſub 58.
Voluſiano, ſic inſcriptum, COL. ΔΑΜΑ. MET. Vexillum exhibet uterque nummus cum epigraphe, LEG. III. GAL. Infimam nummi aream ex utroque vexilli latere aquilæ duæ obtinent, quibus imperatores binos deſignari diximus, pag. 133. operis noſtri de nummis, Gallum nempe Trebonianum: &, quem in imperii conſortium adſciverat, Voluſianum filium. Hic tu nugari nos exclamas: aquilaſque duas veteranorum ex duplici legione in coloniam deductorum argumentum eſſe. Dic, amabo, cur ergo unica legio tertia in labaro, aut vexillo potius, nominatur? Quid quod ipſe deinde admones, tomo priore, pag. 255. duos in nummo 59.

Digitized by Google

60. uno imperatores, M. Aurelium, & L. Verum, *aquilæ ſuperimponi* (utor oratione tua, tametſi haud latina eſt: appoſitam enim utrique imperatori in ima nummi area aquilam dicere voluiſti:) *ut ambo imperii Romani participes: aquila enim*, inquis, *imperii Romani ſymbolum eſt?* Recte omnino, atque appoſite. Id enim a nobis didiceras ſcilicet, qui ſic obiter monueramus loco citato, cum hos ipſos explanaremus Treboniani ac Voluſiani nummos, his verbis: *Similes aquilas in nummis M. Aurelii ac L. Veri vidimus.* At repente oblitus quod a nobis didiceras, ut aliquid reprehenderes, negaſti id eſſe verum in nummis Treboniani & Voluſiani; quod de nummis M. Aurelii & L. Veri a nobis vere pronuntiari imitando confeſſus fueras. Vide ne tam cœca reprehendendi prurigine tales deinceps ludos de te præbeas, qui tecum tam fœde ipſe pugnes.

Neſcis aquilas, cum pingi dicuntur, nunc ipſas volucres, nunc militaria ſigna intelligi. Quæ porro ſigna ſunt? argenteæ aquilæ, contis impoſitæ, in volantum ſpeciem, alies etiam ſublime erectis, ac plaudentum fere ſimilitudine. Cum vero aquilæ ſive ſtant complicatis alis, ſive modice expanſis humi gradiuntur, ſive eaſdem, dum conſidunt humi, ſubrigunt, volucres tunc ipſæ cenſentur, imperii Romani ſymbolum: & quidem cum duobus principibus communicati, ſi vel geminæ ſint, ut in nummis proxime laudatis: vel uni & eidem aquilæ impoſiti principes duo, ut in nummo Tyriorum, quem ipſe affers, pag. 312. Trebonianus idem & Voluſianus. Uno verbo, ubi non ſunt pilis aut haſtilibus impoſitæ aquilæ, ſigna eſſe militaria quî tandem eſſe poſſunt, cum ſignum eſſe ſine haſtili non poſſit? Quod ſi ſigna non ſunt, quomodo legionum eſſe ſigna poſſunt? aut quid aliud niſi Romanum imperium indicant? Quare cum in aliis pleriſque, tum in nummo Germenorum, tomo priore, pag. 308. aquila cippo inſidens ipſum imperium Romanum deſignat: non, ut tu exiſtimaſti, *veteranos cujuſdam legionis, cujus nomen ignoratur, ab Auguſto in eam* urbem *tranſmiſſos.*

Vide quot reprehendenda tibi exciderint, ubi nos reprehendendos falſo putaſti. Nam quod aïs editum a Mediobarbo nummum, cum hac epigraphe, COL. A. A. HAMET.

nos

Digitized by Google

nos fruſtra conatos ad Hadrumetinam metropolim referre, cum ad Damaſcum pertineat, ſitque ille ipſe, quem ſub Treboniano cuſum proxime diximus: quid me hoc loco increpas, qui & penes Mediobarbum fidem eſſe nummi illius monuerim, nec Damaſcenum prætermiſerim ſuo loco, ſed integrum explanarim?

DERTOSÆ in Hiſpania attributum a te nummum eſſe, quem Dertonæ Italicæ recte adſeruimus.

AUGUSTI ac Tiberii vultum exhibet nummus a te allatus, pag. 48. inſcribiturque, C. I. A. D. hoc eſt, te 62.
interprete, *Colonia Iulia Auguſta Dertoſa* Et mox, *P. Har-* 63.
duinus, inquis, *ad Dertonam Italiæ in Liguria nummum revocat: ſed ille fabricæ Hiſpanicæ eſt: & frequentes ſunt ejus provinciæ ſub Auguſto & Tiberio nummi: nulli vero ex tam multis Italiæ coloniis cum Imperatorum effigie obſervantur, quod ipſis cudendæ monetæ facultas haud conceſſa videatur.* Si nulli in coloniis Italiæ nummi, an extra Italiam Caſilinum & Beneventum? quorum nummi teruntur manibus antiquariorum, COL. CASILIN. COL. BENEVEN. ille Cæſare Dictatore, iſte ſub Nerone, ni fallor, inſcriptus: quibus adde, ſi lubet, nummum coloniæ Laudis Juliæ Novæ, ſub Claudio, quem ex Sponio retulimus, pag. 288. Tu formæ ſeu fabricæ Hiſpanicæ idoneus æſtimator & arbiter? Cur ergo pag. 6. incertus dubiuſque hæres, an nummum COPIA Valentiæ Hiſpanicæ, an Foro Julii in Narbonenſi parte, quæ Italiam contingit, adjudices? Quin pag. 63. ut nummum COL. RVS. Ruſcinoni adſcreres, formam Hiſpanicam venditabas? eſt enim urbs ea in ipſo Hiſpaniæ confinio poſita.

Jam apud Gruterum Juliæ Dertonæ nomen offendes, ut & in nummis: Juliæ Dertoſæ, nuſquam. Inſcriptio vetus, pag. CCCCLXXXVII, 7. ORIVNDO. EX. ITAL. IVL. DERTONA. Dertoſæ ordo ſimpliciter vetuſtis temporibus dictus occurret, non Ordo coloniæ. Pag. CCCCLXXVIII, 8. P. VALERIO. DIONYSIO. VI. VIR. AVG. CVI. ORD. DERTOS. OB. MERITA. EIVS. AED. HONORES. DECREVIT.

Digitized by Google

Hoc eſt, ne forte hæreas, *P. Valerio Dionyſio Sexviro Auguſtali, cui Ordo Dertoſæ ob merita ejus ædilitios honores decrevit.*

Deinde vero in nummo Tiberii, quem adfers ipſe pag. 111.
61. & nos protulimus, pag. 137. M. HI. ILERGAVONIA. D E R T. *Municipium Hibera Ilergavonia Dertoſa* inſcribitur: & ex theſauro Goltzii laudavimus alterum M V N. D E R-T O S A. A Plinio deinde noſtro multo poſtea municipiis civium Romanorum adſcribitur: tu nihilominus coloniam facis? An ſub eodem principe municipium ſimul & colonia unum idemque oppidum fuit? Dum nos certe in Ælia Capitolina reprehendis, negas aperte id fieri poſſe, pag. 2. tomi poſterioris, in Severo. Quocumque igitur nunc te vertas, tuo te gladio jugulari, tuo ipſius indicio, ut ſoricem, perire ſentis.

At ibi Dertuſanorum Ilergavoniam legis idcirco, ut ex his ambagibus elabare: & urbem Ilergavoniam Dertuſanorum a Dertoſa diverſam in eodem Iberi amnis littore collocas: atque adeo geminam fuiſſe ſtatuis, alteram quæ municipium, alteram quæ colonia foret. Quo auctore? quo teſte? Siccine in Hiſpania non jam caſtella, ut fert vulgaris parœmia, ſed integra municipia, coloniaſque, quæ neque unquam exſtiterint, neque ſint exſtituræ, exſtruis? Neſcis ipſam Dertoſam in Ilergavonenſium agro poſitam, qui flumen Iberum attingunt, gentiſque caput fuiſſe? Ecquis autem hujus Ilergavoniæ Dertuſanorum commeminit, niſi Dertoſam intellexit? At tu hunc eundem Tiberii nummum, quo Dertoſæ municipio Juliæ nomen vindices, ſic præpoſtere interpungis: M. H. I. ILERG·AVONIA. DERT. *Municipium Hibera Iulia* &c. Quot denuo in unum errata? Aut ſi errata non ſunt, quin hæc olim indicaſti bonæ memoriæ Viro Illuſtriſſimo hujus regiæ urbis antiſtiti PETRO DE MARCA? non apud immemorem profecto beneficium collocaſſes. At erravit ille vir ſcilicet, qui tuis monitis conſiliiſque uſus non ſit. Nam libro ſecundo Marcæ Hiſpanicæ, quam nuperrime juris publici fecit Vir Clariſſ. Stephanus BALUZIUS, unicam agnovit *Dertoſam, Ilercaoniam appellatam, municipium civium Romanorum, caput Ilercaonum.*

At Strabo coloniam appellat, libro III. pag. 159. Ἐπ' αὐτῇ δὲ τῇ διαβάσει τοῦ Ἴβηρος Δέρτωσα κατοικία. Eſto: aït Strabo, negant Dertuſani, ut nummi perhibent. Utri verius eſt auctoritatem ac fidem adjungi: homini Græco, an toti ipſi civitati? An Strabonem neſcis, cum de occidentali tractu ſcriberet, latinos conſuluiſſe fontes? eumque in his, ſive coloniam offenderet, ſive municipium civium Romanorum, aut nihil intereſſe arbitratum eſſe, aut diſcriminis ignarum, voce κατοικίας abuſum fuiſſe, quæ utrumque ex æquo ſignificet? Sic ille de Panhormo, libro VI. pag. 272. id quod tu non intellexiſti, pag. 57. Πάνορμος δὲ καὶ τῶν Ῥωμαίων ἔχει κατοικίαν. Coloniam certe nemo Panhormum eſſe dixit: municipium civium Romanorum fuit. Nec Dertuſanos cum Plinius commemorat, colonos facit, quamvis in enumerandis Hiſpaniæ præſertim coloniis diligens & accuratus. Quocirca vide ne temere deinceps quenquam incuſes, nec Strabonem niſi intelligas, teſtem alleges. Denique nummum hunc quoque patriæ ſuæ Dertonæ, patriam nummo redde.

E

EDESSENÆ coloniæ nomina male a te fuiſſe, & contra regulam artis expreſſa.

IN Caracallæ nummis tres ſunt Edeſſeni, quos adfers pag. 48. & 49. Prior inſcribitur, ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩ. 64.
ΕΔΕϹϹΑ. Alii duo, ΚΟΛΩ. ΜΑΡ. ΕΔΕϹϹΑ. In Elagabalo item, pag. 116. ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΚΟΛ. ΕΔΕϹϹΑ. 65.
Ac primum quidem in hunc modum interpretaris: Μαρκία Αὐρηλία Ἀντωνινιάνα Ἔδεσσα. Duos ſubſequentes, Κολωνία Μαρκία Ἔδεσσα. Poſtremum denique, Μαρκία Αὐρηλία κολωνία Ἔδεσσα. Nos vero quod in duobus intermediis pro ΜΑΡ. ΕΔΕϹϹΑ. legi mallemus, Μ. ΑΥΡ. ΕΔΕϹϹΑ. quanquam ſolito lenius, reprehendis tamen. Dic, amabo, a prænominibus adjectiva nomina ducere quo doctore didiciſti? quo auctore tam infame propudium in Grammaticam intruſiſti? A Marco ſi Marcia ducitur, dic & ab Aulo Auliam: a Caïo deinde, a Cneïo quid dices? Nam Ligorii nummus,

quem antea laudavimus, legi debuit, *Colonia Apros Titi Ælii Hadriani Antonini Aug.* non a Tito Titia, cum ſcriptum in nummo haud dubie fuerit, COL. APROS. T. AEL. HADR. ANTON. AVG. Qua forma nunc quoque dicendum Μάρκȣ Αὐρηλίȣ Ἀντωνίνου Ἔδεσσα, & Μάρκου Αὐρηλίου κολωνία Ἔδεσσα. Vel quod nobis haud minus arriſerit, Μαρκο-Αὐρηλία, unico e duobus conflato vocabulo legi oportuit. Sic, inquam, dici legique ars ſinit, ac forte hoc loco poſtulat, ſive ΜΑΡ. dumtaxat nummi exhibeant, ſive Μ. ΑΥΡ. ſive demum ΜΑΡ. ΑΥΡ. Neque enim diviſæ hæ ſyllabæ duas magis voces denotant, quam vox μητροπόλεως in Carrhenorum nummo, ut vidimus, duabus prioribus ſyllabis earum vocum, ex quibus illa componitur & conflatur, expreſſa: ΚΑ. ΚΟ. ΜΗ. ΠΟΛ. Poſcebat autem hic locus, cum de nummis Edeſſenis ageres, ut te injuria a nobis reprehenſum doceres, ſiquidem ita ſentires: quoniam nummum Antiochi IV. inſcriptum, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ, ad Edeſſam ſpectare docuimus, pag. 146. quem tu ad Antiochiam neſcio quam, juxta Callirhoën in Palæſtina fontem a te uno ædificatam retuleras. Nunc quianam, niſi victus, ſiles?

EMISENIS dum nummum adſcribis, qui debetur Amidenis, ſitus regionum penitus ignarum ipſum te prodere.

PALMARIS hæc autem eſt, ceteraſque eruditione vincit, tua de Alexandri Severi numiſmate obſervatio, quod cum Amidæ percuſſum pronuntiavimus, pag. 37. libri
66. de nummis, tu Emiſæ cuſum aſſeveras, pag. 173. tomi ſecundi. Sic autem inſcriptum eſt: ... ΜΙ. ΚΟ. ΜΗ. ΜΕΣΟΠ. priore littera, ut monuimus, detrita corroſaque. Nos cum nummum hunc in Regia gaza ante quinquennium tractaremus, ſtatim ΑΜΙ. ſine dubitatione legendum cenſuimus, totiuſque epigraphes hanc eſſe ſententiam, Ἀμιδῶς κολωνίας μητροπόλεως Μεσοποταμίας, id quod *ingenioſe* a nobis inventum confiteris. Eſt ea civitas Tigri amni adpoſita, ut ex Procopio

diximus, ac vetuſtum etiamnum retinet nomen, *Amed.* Amidam opulentiſſimam civitatem Marcellinus Comes in chronico refert, Probo & Avieno Coſſ. hoc eſt, anno DII. a Quade rege Perſarum captam. In Concilio CP. I. ſubſcribit *Mareas Amidenſis provinciæ Meſopotamiæ.* In Notitia eccleſiaſtica Hieroclis, *Provinciæ Meſopotamiæ ſuperioris, ſive Armeniæ quartæ, Amida metropolis.* Ἐπαρχία Μεσοποταμίας τῆς ἄνω, ἤτοι τετάρτης Ἀρμενίας, Ἀμίδα μητρόπολις. Tot teſtimoniis tamen, noſtroque judicio ſtare recuſas. EMI. ſubſtituendum eſſe pertendis, & ad Emiſam civitatem nummum ſpectare. Id quod rurſum pag. 118. aſſeveras, aliiſque paſſim in locis. Itaque quod Spanhemio viro clariſſimo, cujus eruditionem conjunctam eximia humanitate plurimum diligimus, in notis ad Juliani Cæſares merito diſplicuit, tu avide excipis & amplexaris.

Dic, obſecro, noſtin Emiſa ubi terrarum ſit? Monueramus a Meſopotamiæ finibus longo locorum intervallo diſſidere: Apamenæ regioni a Ptolemæo adſcribi, a Plinio Cyrrheſticæ, Phœniciæ ac Libano monti ab Ammiano, Ulpiano, Stephano: hoc eſt, leucis fere octoginta ab Euphrate amne. Jam Meſopotamia quæ dicitur? aut unde illud huic regioni nomen? Nempe quod eſt inter duos amnes poſita: quod & Trajani nummo quodam inſigni doceri oſtendimus, pag. 71. Quo igitur mentis errore Emiſam ſuis ſedibus commoviſti, & in Meſopotamia collocaſti? Novimus ſæpe provinciarum terminos fineſque confuſos: an ulla autem unquam ætas fuit, qua Emiſa tranſcenſis centum ſexaginta millibus paſſuum, ipſoque Euphrate, in Meſopotamiam demigrarit? O divinum finium regundorum magiſtrum!

Amidæ ad Tigrim poſitæ negas in nummis eſſe mentionem. Non hoc in nummo perſpicua eſt? Non in nummis Conſtantini junioris, AMID. legiſti? Vidit ac legit vir clariſſimus Du-Cangius, curavitque delineari in Conſtantinopoli Chriſtiana, pag. 21. D. N. CONSTANTINVS. P. F. AVG. In alterius areæ ambitu, VICTORIA. AVGGGG. Infra, AMID. Quo in nummo, ſcalptoris vitio, littera una G redundat ac ſupereſt; & vero abeſt a nummo, quem ipſi vidimus: ut vice verſa in nummo altero, qui hunc proxime

ibi antecedit, AVGG. ſcalptor exhibuit, cum ſcribi AVGGG. oportuerit, ut tres Auguſti notarentur. Tres enim Conſtantini M. liberi deſignantur, qui fuere Auguſti ſimul appellati poſt obitum patris, v. Idus Septembres, ut refert Idatius, anno CCCXXXVII. Debet igitur hic nummus Conſtantino juniori adſcribi: quicum in hoc Amidenſi nummo victoria communicatur, a Conſtantio fratre de Perſis relata anno ſequente. Nam tametſi ditiones ſuas eſſent inter ſe partiti: cum tamen Romanum imperium Auguſti quotquot eſſent, pro indiviſo conjunctеque regerent ac tutarentur: tum in titulis legum perſcribi nomina omnium Auguſtorum: tum in nummis adſcribi omnibus Auguſtis victoriam, quæ eſſet ab uno relata, mos fuit. Eo fere modo Chriſtianum orbem regere conjunctim ac pro indiviſo cum Romano Epiſcopo Epiſcopus CP. voluiſſe videtur, immani auſu: cum ſe œcumenicum Patriarcham perinde atque Romanum Pontificem dici & haberi vellet, quoniam novæ Romæ præeſſet, ut iſte veteri: ſalvis nihilominus Patriarcharum in ſua cujuſque ditione juribus: quemadmodum, ut dictum eſt, Orientis & Occidentis Imperatores pari poteſtate, communibuſque decretis orbem Romanum, τὴν οἰκουμένην, adminiſtrarent. Id quod Theodoretus, cap. de Neſtoriana hæreſi haud obſcure indicat, ut Avitum Viennenſem, epiſt. III. & VII. alioſque prætermittam.

Ad Amidenſem vero nummum ut redeamus, unde divertimus: cimelia tametſi multa luſtraſſe te ſubinde gloriaris, ſentis nonnulla tamen diligentiam tuam præteriiſſe. Non eidem Tigri amni adpoſita Singara eſt? cujus tamen nummi duo ex cimelio Regio, Gordiani & Tranquillinæ inſcripti nominibus, laudati a nobis, a te etiam tertius ſub Alexandro Severo eſt. Non ab eadem Meſopotamia advecti nummi Carrhenorum, Edeſſenorum, Niſibenſium, Rheſænenſiumque? Quos tu quidem cum Rheſaineſios appellas, pag. 175. quoniam Græce ſcriptum ſit, ΡΗCΑΙΝΗCΙΩΝ, fœdam barbariem in Grammaticam invehis. Sunt enim Ῥησαινήσιοι Rheſænenſes, a Rheſæna, non Rheſaineſii: ut Βεδουνήσιοι apud Ptolemæum, libro 2. cap. VI. ſunt Vedunenſes, aliique ſimilis formæ: quanquam interpres Ptolemæi latinus in

eundem ſæpe tecum impingit errorem. Niſi forte φιλιππήσιοι, ad quos Pauli Apoſtoli exſtat inſcripta epiſtola, Philippeſii rectius dici tibi videntur, quam Philippenſes: aut apud Evagrium, libro v. cap. vi. φοινίκη Λιβανησία, tibi Libaneſia eſt, non Libani, vel Libanenſis. Sed ut ad nummos tractus illius revertamur, rariores Amideni quidem, atque eo nomine cariores: non tamen nulli, ſed veri maxime.

Rides deinde, quod Amidam Meſopotamiæ metropolim eſſe, Conciliorum ſubſcriptionibus, notitiaque eccleſiaſtica confirmemus: *quaſi in imperio idem eſſet*, inquis, *qui poſtmodum in Eccleſia fuit ordo.* In imperio, ſeu potius in partitione provinciarum imperii eundem ordinem fuiſſe, qui poſtmodum in Eccleſia fuerit, nunquam ſane dixerim: tamen eccleſiaſticas provincias & adminiſtrationes ad civilium formam in Oriente ſemper conſtitutas, ſi negas, apparet te penſi nihil habere quid ſcribas. Non eccleſiaſticum jus civilis adminiſtratio, ſed civile jus eccleſiaſtica ibi adminiſtratio imitata & conſecuta eſt.

Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt.

Tene eccleſiaſtica tractare auſum? neque in nummaria arte una acquieſcere? Et vero dignus tam audaci conatu exitus fuit: qualis & nuper neſcio cui contigit, qui noſtram de Baptiſmo concertationem auſus eſt vellicare. Theologum agere velle viſus eſt, cum ſit prorſus ἀμύητος. Itaque rudem ſe omnino ejus ſcientiæ prodidit: & inſcitiæ addidit argumentum alterum, vel audaciæ potius, [a] ubi librum de Excidio Urbis temere a nobis Auguſtino adſcriptum eſſe dixit, ſummoque conſenſu repudiatum ab eruditis tanquam adulterinum: cum ſit illud & a Beda laudatum, & idem tam genuinus ac certus Auguſtini partus, quam qui maxime: nec demum a quoquam homine, quod quidem ſciam, falſi ſuſpectus. Nunc illud prætermittimus quod de Arianorum baptiſmo [b] alibi refert, & probare videtur. Cenſuram hujus rei aliarumque multarum, faciant ii, quorum intereſt. Illum interim, teque, rurſum moneo parœmia vetere, ne ultra pedem calceus.

Emiſam tu porro cum in nummo legis, vide quos te in

[a] *Journal des Sçavans*, 1. *Decembre* 1687. [b] 11. *Octob.* 1688.

laqueos induas. Primum, ut dixi, urbem non modicam ſuis locis ac ſedibus ſubmoves. Deinde, Meſopotamiæ *duas metropoles conſtitutas eſſe* doceri hoc nummo dicis, *unam cis Euphratem, alteram trans fluvium :* & illam quidem primariam, id quod littera A deſignet in medio inſculpta nummo : iſtam inferioris ordinis ac cenſus, Carrhas nimirum. De Carrhis jam diximus. Emiſam interim tot paſſuum millibus ab Euphrate diſſitam, caput eſſe regionis, quæ tota inter Euphraten & Tigrim poſita ſit, cui tandem niſi amenti ac ſtulto probabis ? aut ei fortaſſis, qui Durocortorum Remorum metropolim alteram eſſe poſſe cenſuerit Galliæ Narbonenſis ? Lubet igitur exclamare vitio creatam hanc Meſopotamiæ metropolim eſſe. Metropolim ſane fuiſſe confitemur, ſed Phœniciæ ſecundæ Libani, ut in Notitia imperii appellatur : Meſopotamiæ, ſi ſapis, dictum a te pœnitebit.

At erant, inquis, pag. 118. duæ in Phœnicia metropoles, Tyrus ac Sidon : *ergo Phœniciæ metropolis Emiſa non videtur fuiſſe.* Neſcis, o Valens, Phœniciam geminam fuiſſe : alteram maritimam, ſub Conſulari : ſub Præſide alteram, quæ Libani, ut diximus, nuncupatur : hujus caput Emiſam exſtitiſſe dicimus. Quid ergo littera A in nummo deſignetur, niſi prior Meſopotamiæ metropolis, rogas ? Dic primæ Meſopotamiæ metropolim : nam hæc illius epigraphes ſententia eſt : Ἀμιδᾶς κολωνίας μητροπόλεως Μεσοποταμίας πρώτης, ut cum de Carrhis diceremus, liquido demonſtravimus. Non eſt igitur nummus hic Emiſenus, ſed Amidenus.

EMISENORUM æram ſincere a nobis expoſitam & recte explicatam : a te fruſtra ſolicitatam vexatamque eſſe.

AT & in Emiſeno erraſſe nos alibi mones, pag. 52. tomi ſecundi. Nam cum ſic inſcribatur, ΕΜΙΣΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑΣ. ΚΦ. notis poſtremis annum ſignari DXX. æræ Seleucidarum diximus : id quod tu conſtare cum ratione temporum negas poſſe : quoniam a Caracalla, cujus hic nummus effigiem præfert, colonia Emeſa facta ſit, atque adeo

adeo poſt Severi patris obitum, qui poſt annum illum DXX. contigit. Itaque deprehendiſſe te lynceis oculis gloriaris geminam his litteris KΦ. lineam ſuperpoſitam, vel litteram potius, inquis, alphabeti tertiam, jacentis in morem, non continua, ut mos eſt, ſerie cum reliquis. Itaque annum DXXIII. deſignari doces. Doce prius, oro te, quo more, quo exemplo, numerales notæ in notis non conjunctim, perpetuaque ſerie, & eodem omnes ſitu, poni poſſe arbitreris. Supercubantes lineolæ, ſi neſcis, eo conſilio appoſitæ ſunt, ut a reliquo inſcriptionis corpore numerales litteræ ſecernantur, pateatque non alias eſſe numerales. A Caracalla equidem jam Imperatore factam eſſe coloniam Emeſam ex Ulpiano diximus, pag. 150. Sed præpoſtera feſtinatio, ac cœcus reprehendendi ardor offudit caliginem oculis, ne animadverteres, quod proxime deinde ſubjecimus, annis tredecim ante patris obitum Imperatorem illum fuiſſe ſalutatum. Non potuit ergo vivo adhuc patre a Caracalla jam Imperatore jus coloniæ Emiſenæ civitati dari? Non potuit factum ab eo jure dici, quod & interventu ſuo a patre impetrarit, & edicto, cui nomen fuerit utriuſque præfixum de more, ratum habuerit? Ubi nos ergo ſolertiæ jacturam paſſos arbitrabare, an te nunc ibi toto naufragii καταποντισμῷ demerſum denique intelligis?

F

FLAVIA PRIMA cur Cæſarea Palæſtinæ nuncupata ſit, cum ſcire velis videri, plane te neſciſſe.

NEGAS ſatis accurate dictum a nobis in notis ad Plinium, cur Cæſarea Palæſtina prima Flavia appellata ſit. Primam aïs dictam videri, quod illa metropolis ſeu caput Palæſtinæ ſit, pag. 198. id quod iterum repetis pag. 257. & rurſum tomo ſecundo, pag. 96. Quantum autem conjectando aberres a ſimilitudine veri, intellige. Nam & Carthago, ſi ita eſt, dici prima debuit, quia caput Africæ, ut ab Auguſtino appellatur: & aliæ ſimiles multæ: nam cur Cæſarea una ex omnibus? Sed tædet conjecturis uti: certam in-

N

tegramque nunc tibi demum appellationis hujus cauſam ſuggerimus perlubenter. Dicta prima Flavia eſt, quod ante reliquas nomen id ei obtigit. Nam & in eodem tractu terrarum, Neapolis Samariæ Flavia quoque cognominata eſt, ut nummi teſtantur plurimi, quos illuſtravimus. Fuit & Flavia Samoſate, quam Euphrates alluit, ut nummi docent a nobis laudati. Fuit & Flavia dicta Corinthus, Deulton, aliæque multæ. In quibus vide ne te Gruterus impellat in fraudem: qui pag. CCCCXXIX. id Barcinonenſi quoque coloniæ nomen adſcribit: COL. FLAV. P. BARC. Legendum enim iſtic ex altero marmore, quod Gruterus ibidem deſcribit, COL. F. I. A. P. BARC. *Colonia Faventia Iulia Augusta Pia Barcino.* Fuere ergo Flaviæ multæ. Sed ſingularis Cæſareæ prærogativa fuit, quod ante reliquas hanc nomenclationem obtinuit, quam ceteræ poſtea vel adſcivere ſibi, vel obtinuere. Hinc dicta prima Flavia eſt. Quemadmodum in Notitia Imperii, ſect. XXXVIII. legio prima Flavia nuncupatur, quæ ceteras aut vetuſtate, aut ordine, aut utroque antecelleret.

Enimvero ſimilem ob cauſam, ut hoc te quoque doceam, Achrida in Bulgaria multo poſtea Juſtiniana prima vocitata eſt, quod natale ſolum id erat Juſtiniani Imperatoris: cum altera interim eſſet apud Dardanos Ulpiana civitas, ſecunda Juſtiniana dicta: ut poſtmodum & Calchedon Juſtiniana tertia: præter Carthaginem & Hadrumetum, quæ ſunt pariter Juſtinianæ nuncupatæ. Sed inter illas Achrida prima Juſtiniana, ut inter Flavias Cæſarea prima Flavia fuit.

Rogas autem quamobrem illa prima fuerit, ceteriſque coloniis ejuſdem tractus prælata? A Juſtiniano accipe: quod ibi Veſpaſianus Imperator eſt ſalutatus, eamque ob rem & Cæſarienſes ſtatim colonos fecit, & gentis ſuæ nomen iiſdem impertiit. *Venit autem nobis in mentem*, inquit, Novella CIII. in præfat. *& metropolis Cæſarea, quæ in prima Palæſtina principatum tenet, quam præ ceteris majore etiam honore perfrui oportebat: propterea quod & quondam Proconſul ipſam tenuit, & præfectus talis magiſtratus fuit, licet poſtea ab ampliore dignitate ad minorem tranſierit. Nimirum cum una prius tota Palæſtina eſſet, ea deinde in tres diviſa partes, & neque proconſulatum*

retinente, ſed ad magiſtratum hunc, ut appellant, ordinarium delata. Quanquam ſane & vetuſta urbs ſit, & ſemper ampli nominis fuerit, tam cum Strato eam in formam urbis redegit, qui mutatis ſedibus excedens Græcia hujus conditor exſtitit: quam cum divæ memoriæ Veſpaſianus, celebratiſſimus ille Imperator, qui piæ memoriæ Titi pater fuit, quod illi ad ſummam gloriam vel ſolum potuit ſufficere, ipſorum Cæſarum appellatione eam nominavit, cum antea Stratonis turris vocaretur, hoc illi honore impenſo, eo quod in ea poſt Iudaïcas victorias inter Imperatores adſcriptus eſſet. Niſi vero Cæſarum appellatione Flaviorum nomen intelligit, errat: quando Cæſareæ nomen inditum ei ab Herode conſtat, ex Plinio. Tunc & metropolis autem eadem conſtituta, ut diximus: quo quidem in honore Hieroſolymitanæ civitati, poſtquam eſt diruta a Tito, ſucceſſit.

G

GERMENORUM nummos non uni & eidem omnes oppido tribuendos eſſe, quod primum a nobis animadverſum ultro agnoſcis, idem de pluribus aliis debuiſſe te profiteri.

COMMODI principis nummus ſic inſcribitur, COL. AVG. F. GERMENO. hoc eſt, *Colonia Auguſta Felix Germenorum.* Quem tu illuſtrare ſic conaris, pag. 307. *Spanhemius & Holſtenius illum revocant ad Germen Helleſponti urbem, quam coloniam ex Ptolemæo memorant, cum Geographus ille Germen coloniam in Galatia deſcribat, ut jam vidit eruditus P. Harduinus, pag.* 184. *Germe quidem urbs gemina, una Helleſponti, teſte Stephano. Altera, urbs Galatiæ prope Peſinuntem, apud Ptolemæum, libro* V. *cap.* IV. *Γέρμα κολωνία. Vtriuſque urbis gentile nomen* GERMENVS: *unde nummi obvii cum epigraphe* ΓΕΡΜΗΝΩΝ *ad Germen Helleſponti urbem ſpectant. Qui vero Latina epigraphe* COL. GERMENO. *gaudent, ad Germen Galatiæ coloniam pertinent, cujus meminiſſe videtur notitia Græc. Epiſcop. in hac provincia, ſub voce Γερμακολωνίας.*

Adde, ſi vacat aliquando tua iterum emendatiora & auctiora edere: tametſi multo ſunt plura, quæ detrahi ac reſecari oporteat: adde, inquam, appellari hanc Galaticam civitatem plurali numero τὰ Γέρμα in diatypoſi Leonis Sapientis, probatiſſimiſque Notitiis. Eandem & Γερμονοκολωνίαν vocari in nonnullis: in Itinerario, quod Antonini dicitur, Germam nuncupari. Sed & aliud ſibi nomen adſciviſſe Μυειαγγέλων, teſte Theophane, anno XXXVII. Juſtiniani. Οἱ Μυειάγγελοι, inquit, ἤγουν τὰ Γέρμα. Ex quo Paulus diaconus emendandus, apud quem libro XVI. cum Theophanem exſcribere videatur, legere eſt, ſed vitioſe, *Mirangulos, id eſt, Germanicias urbem Galatiæ.* Utraque autem civitas, tum Γέρμη Helleſpontiaca, tum Galatica Γέρμα, archiepiſcopatus titulo inſignis eſt, ſive αὐτοκεφαλίας, in Leonis diatypoſi, aliiſque Notitiis: iſta, quarto loco: illa, octavo ac viceſimo.

Næ tu, ſi quoties ex nobis profeceris, ingenue profeſſus eſſes, ut nunc facis, minorem forte ſcientiæ, candoris certe majorem eſſes laudem conſecutus. At ſatis habes in præfatione generatim dicere, *ex omnibus te profeciſſe*, ne cui nominatim gratiam haberes. Non exprobrabo quid a nobis acceperis: quorſum enim, cum ipſe recorderis? Exſpecto modo, dum publici juris facias, quod de Græcis urbibus tanto faſtu polliceris. Juvabit tum videre, num admonitu noſtro factus cautior gratiorque, inventi cujuſque laudem auctori ſuo retuleris.

H

HELIOPOLITANÆ coloniæ in Syria nummum a te tributum eſſe, qui nec ullius privatim coloniæ ſit, & ſit Romæ conflatus, ante annos fere LXX. quam eſſet Heliopolim deducta colonia.

67. HADRIANI ſequitur nummus inſignis, pag. 228. LEG. H. COL. H. Duo Genii, ſeu Fortunæ duæ in eo ſtant, implicitis inter ſe brachiis: altera manu temonem

ſuum quæque tenet. Tu ſic interpretaris, permutato vocum ordine, *Colonia Heliopolis. Legio Heliopolis*, & ad Heliopolim Cœles Syriæ revocas.

Dic, quæſo, quæ iſta primum Legio Heliopolis eſt? aut cui omnino commemorata? aut quis aliquando ita locutus? Deinde quemadmodum appellari colonia Heliopolis ſub Hadriano potuit, quæ nonniſi a Severo principe colonia facta ſit, Ulpiano teſte, cujus verba retulimus, pag. 191. operis noſtri de nummis? *Sciendum eſt eſſe quaſdam colonias juris Italici: ut eſt in Syria Phœnice ſplendidiſſima Tyriorum colonia, unde mihi origo eſt..... Sed & Berytenſis colonia in eadem provincia.... Eſt & Heliopolitana, quæ a Divo Severo per belli civilis occaſionem Italicæ coloniæ rempublicam accepit. Eſt & Laodicena colonia in Syria Cœle, cui Divus Severus jus Italicum conceſſit.* Expedi te hoc laqueo, ſi potes. Nulli certe Heliopolitanæ coloniæ nomine inſcripti nummi ante Severum occurrunt. Quin aut Hadrumetinam, aut Hipponenſem in Africa coloniam cogitabas? cur potius Heliopolim? nulla enim prorſus indicia in eo nummo ſunt, quibus adduci quiſquam poſſit, ut huic citius quam alteri adjudicet.

Atqui ſic habeto, non in colonia aliqua una nummum hunc, aut in municipio, ſed Romæ cuſum: id quod peritum fabricæ æſtimatorem & arbitrum, qualis haberi cupis ac geſtis, præterire non debuit: typi enim elegantia Romanum eum civem eſſe debuit admonere. Legendum ergo, *Legio Hadriana, Colonia Hadriana*. Multiplex fuit colonia ſive Ælia, ſive Hadriana, ab Ælio Hadriano Auguſto deducta & cognominata. Habuere coloniæ autem jus legionis, de quo dicturi ſumus inferius: ut in legione ſcilicet coloni tanquam cives, non ut in auxiliis tanquam ſocii ſtipendia facerent. Itaque ex omnibus coloniis Hadrianis conſcripti milites legionem unam confecere: cujus nomine conflatus hic nummus eſt, quo ſe Legio Hadriana collectam gloriatur non ex alia colonia quam ex Hadriana. Itaque coloniæ Hadrianæ ac legionis Hadrianæ comites fore, conjunctaſque Fortunas: argumentoque illo in eo nummo brachiis inter ſe implexis pinguntur.

Suum unicuique coloniæ, ſuum cuique legioni Genium

fuiſſe adtributum forte non ignoras. Quid enim frequentius in nummis occurrit, quam Genius coloniæ? Sic GENIVS. COL. COR. & GEN. COL. NER. PAT. in Neronis nummis, ut omittam ceteros. Et Tertullianus meminit, libro de Idololatria, cap. XXI. *Si cui dedero eleemoſynam,* inquit, *& ille mihi Deos ſuos, vel COLONIÆ GENIVM, propitios imprecetur.* Et fuiſſe ſolennem in unaquaque civitate Genii illius natalem colligere licet ex eo, quod Euſebius narrat, libro de Martyribus Palæſtinæ, cap. XI. Genii Cæſarienſium publici natalem peragi ſolitum a. d. III. Nonas Martias, *περὶ τρίτῃ νόννων* Μαρτίων, *γενεθλίων τῆς κατὰ Καισαρέων νομιζομένης* ΤΥΧΗΣ *ἡμέρᾳ.*

Genios autem legionum nemo, opinor, fuiſſe ambigat, qui exercituum genios in nummis legerit: ut in Decianis occurrit GENIVS. EXERCITVS. ILLYRICIANI, ubi cornu copiæ pariter gerit: in Carini nummo, GENIVS. EXERCITI. cum eodem ſymbolo. In iſto igitur Hadriani, conjunctum utrumque, legionis coloniæque, genium ne dubites.

Vidiſtin aliquando in nummo Antiatium, apud Patinum, de numiſmatis familiarum Romanarum, pag. 144. Fortunas duas, cum hac epigraphe, FORTVNAE. ANTIAT. Eſt & vetus inſcriptio apud Gruterum, pag. LXXII, 8. FORTVNIS. ANTIATIBVS. Quibus adde Tacitum, & Macrobium: illum, libro XV. Annalium: iſtum, libro I. Saturn. cap. XXIII. quæ obiter indicaſſe, nunc abunde dixiſſe eſt. Fortunam igitur geminam cur hic nummus exhibeat, intelligis: nec illum uni certæ dumtaxat coloniæ convenire, ſed legioni, quæ fuit ex omni colonia Hadriana conſcripta.

HELIOPOLITANÆ coloniæ ſeptem a te nummos eſſe adtributos, qui ſunt Berytenſis.

GRAVIORE haud paulo lapſu ſeptem nummos Heliopolitanæ coloniæ adjudicas tomo ſecundo, primum in
68. Macrino, pag. 95. quatuor deinde in Philippo, pag. 238. 239.
69. & 240. ſextum in Otacilia, pag. 261. poſtremum denique

Digitized by Google

in Gallieno, pag. 346. quorum omnium epigraphe, ut quidem refers, eſt hujuſmodi: COL. IVL. AVG. FEL. HEL. 84.
præterquam unius, ſub Philippo, pag. 238. COL. HEL. 70.
Mitto te pro more calumniari poſtremo loco, cum Triſtanum alioſque reprehenderem in libro de nummis, quod coloniæ Helviæ hos nummos adſcriberent, id me feciſſe edoctum ab aliis: quoniam in Plinianis notis de Heliopolitanæ coloniæ nummis verbum nullum fecerim. Perinde quaſi aut non labore ac ſtudio id potuerim poſtea condiſcere, quod prius latuiſſet:

Ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

Nam veritatem tempus in lucem eruit.

aut, cum id jam tum probe callerem, neceſſe fuerit in notis Plinianis qui cuilibet oppido nummi competerent, commemorare: quæ res fuiſſet plena faſtidii: nec ſatius fuerit pleroſque, quod feci, ſingulari operi reſervare. Sed eſto ſane, ut vis, tametſi eſt falſiſſimum: videamus porro, quid demum ab aliis ſim edoctus. Mene putas didiciſſe ab iis, ad Heliopolitanam coloniam hos nummos revocari oportere? Revocas tu quidem: ſed tantam a me allucinationem ſuperi averruncent. Monui eo loco, quem notas, hoc eſt, pag. 191. & 192. non eſſe quidem ad Helviam nummos quoſdam referendos, qui ad Heliopolim pertinerent. Hos vero ſex, quos nunc Heliopoli adſignas, conceptis idem ipſe verbis admonui pag. 90. ad Berytum ſpectare. Audi iterum: COL. IVL. BER. *Apud Patinum, in numiſmatis Triumvirorum, pag.* 18. *& pag.* 19. *Auguſti ipſius*, COL. IVL. AVG. FEL. BER. *cui ſimile alterum Valeriani, pag.* 406. *Ex quibus nummum Gallieni, qui Valeriani filius fuit, refingere ipſe potuit: in quo perperam legit*, COL. IVL. AVG. FEL. HEL. *& ad coloniam Helviam refert, ad Heliopolim alii*: quod tu nunc facis: *cum* FEL. BER. *ſit in iis quatuor nummis ſcriptum perſpicue: quod nos in Cimelio Regio vidimus..... Neque vero Iuliæ Auguſtæ cognomen coloniæ Heliopolitanæ ulla monumenta adſerunt. Sed errorem Patinus a Triſtano hauſit.* Tu propinatum a Patino pleno ore bibiſti. Sed quo fato contigit, ut oculos tuos noſtra hæc obſervatio invidiamque fugerit? quam ſi vidiſſes, aut ſecutus eſſes haud dubie: aut maligno, ut alia multa,

dente carpſiſſes: cur ergo nunc ſiles? Inſpice rurſus, ſi licet, regium theſaurum: quem tam ſæpe, tamque confidenter negas a nobis eſſe luſtratum: intelliges vel ex hiſce, quos diligentius quam reris inſpeximus, & falſum te accuſatorem eſſe: & futurum fuiſſe, ut in his nummis tam fœde non impingeres, ſi vel oculis noſtris fidem habuiſſes: aſſeverantibus nobis jure merito legi oportere, COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Iulia Auguſta Felix Berytus.* Nam quæ alia in Syria, præter Berytum, colonia Julia Felix Auguſta cognominata eſt? Ruit ergo conciditque illa tua egregia conjectatio, deductam a Julio coloniam in Heliopolitanum oppidum, auctam eandem ab Auguſto: id quod falſo narras,
69. tomo 1. pag. 228. tomo 2. pag. 15. 81. aliiſque locis. Et cantharus quidem, Bacchi ſymbolum, ante aram templumque adpoſitus, in nummo Philippi, pag. 240. cultum ejus numinis familiarem fuiſſe Berytenſibus denotat, quod & nos comprobavimus, pag. 91.

HIPPONENSIS colonia cur Gemella, cur Pia, appellata ſit, falſam a te cauſam afferri.

NUMMUM M. Aurelii exhibes, pag. 271. in quo Ceres gradiens faces accenſas gerit: ſimilemque Commodi alterum, pag. 308. Utriuſque inſcriptio eadem: C. G. I. H. P. A. hoc eſt, *colonia Gemella Iulia Hipponenſis Pia Auguſta.* Sunt & ſimiles tomo poſteriore, ſub Caracalla, Gordiano, Philippo patre, & Gallieno. Nobis vero dicam ſcribis, quod cum Patino & Mediobarbo C pro G legimus, aliterque has litteras interpretati ſumus. Tædet jam litium atque rixarum: quanquam ſi Himeræ Siciliæ coloniæ tribuendos eſſe hos nummos pertendero, qui refelles? Verum ſint illi ſane coloniæ Hipponenſis: quam lepidus es in conjicienda cauſa geminæ illius appellationis, Gemellæ nimirum, ac Piæ? Nam cur Gemella dicta eſt? Quoniam *urbs illa*, inquis, *gemina Straboni, altera Hippo Regius, altera Hippo Diarrhytos: unde in nummo Gemella perhibetur.* Et pag. 309. *Ideo Gemella nuncupata, quoniam alia urbs ſit hujus nominis.* Id quod iterum repetis tomo ſecundo, pag. 54. & 347. Quot in orbe, ea ſi cauſa

cauſa probabilis eſt, Gemellas civitates appellari oportuit? Carthaginem in primis, cui Gemellæ appellatio quam apte congrueret, cum eſſent duæ ejus nominis coloniæ? Cur hæc una ſic eſt vocitata ex omnibus, cum ſit communis cauſa omnium? Quin Accitanæ coloniæ meminiſti: quæ, cum ſit unica omnino Acci in orbe, tamen Gemellæ pariter ſortita appellationem eſt? cujus rei cauſam aliam attuliſti, vendibiliorem aliquanto quidem, nec tamen veram, pag. 13. Quanto forte verius Gemellæ dictæ coloniæ ſunt, quarum civibus in ipſa coloniæ deductione conceſſum, ut in duabus legionibus ſtipendia facere, tanquam cives Romani, poſſent? Quo fere modo gemellæ vites appellatæ, *quibus*, ut Plinius noſter aït, libro XIV. ſect. IV. *hoc nomen uvæ ſemper geminæ dedere.*

Piæ vero cognomen ab Antonino Pio ſi deductum foret, Antoninianæ præterea, ut Corintho, ut Oeæ, aliiſque, nomen iſti haud dubie adjiceretur. Ante hæc tempora certe coloniam eo deductam eſſe Plinius junior in primis docet, libro IX. epiſt. XXXIII. quem locum ſubnotari a te in priore ſtatim volumine oportuit, ut oſtenderes ante M. Aurelii ætatem deductos eo colonos: non unum Itinerarii auctorem appellare, quem tu falſo ductus errore ſubinde Antoninum Pium vocas: cum vixiſſe hunc dudum poſt Conſtantini M. tempora, eruditi conſentiant.

I

ILLICITANÆ coloniæ adſcriptum a te nummum eſſe, qui Norbæ Cæſarianæ eſt.

AUGUSTI nummus a te profertur, pag. 54. in quo ſigna militaria ſunt, quibus hæc imminent Duumvirum nomina, C. MANLIO. T. PETRONIO. Iiſdem ſignis inſertæ & interjectæ litteræ, ut tu quidem dicis, C. C. IL. A. ut vero Sponius, cum Mediobarbo, C. C. N. A. Atque ad Illicitanam coloniam tu revocas: *Colonia*, inquis, *Cæſarea Illice Auguſta.* Ille ad Carthaginem novam Auguſtam: hoc eſt, ille ſemel, perperam interpretando: tu etiam præ- 71.

poſtere legendo, bis peccas, aut ſæpius. Diceres enim primo ſaltem *Cæſariana*, non *Cæſarea*: quod iſtud non coloniæ ullius cognomen, ſed ipſum nomen eſt. Deinde, quo auctore Cæſarianæ cognomen Illicitanæ coloniæ tribuis, cum ſit ſolenne *Juliæ*, vel, ut tu vis, *Immunis*? Petronii poſtea nomen cum hic occurrat inter Duumviros idem, quod & in nummis novæ Carthaginis, ut tu dicis, vel Norbæ Cæſarianæ, ut nos demonſtravimus: cur a Sponio diſcedis, hunc quoque nummum novæ Carthagini vindicante? Legit, inquies, C. C. N. pro C. C. IL. Vis ergo oculis tuis credamus, detractumque fateamur in hoc uno nummo Juliæ prænomen Illicitanæ coloniæ, adjectum Cæſareæ, vel Cæſarianæ, ſine teſte? ejuſdemque familiæ Petronios, fratreſque, ut apparet, alterum Illicitanorum, alterum alterius civitatis longiſſime diſſitæ nummis inſcribi? Quam pronus eſt oculorum lapſus in his litteris? AQVINO legit in ſuo alio nummo Mediobarbus, pro AQVILIO, arguente te, pag. 71. hoc eſt, N. pro IL. Tu nunc viciſſim IL. pro N. mihi crede, vidiſti: ac ſi non credis, ſpecular iterum dioptramque admove: leges C. C. N. A. *Colonia Cæſariana*, vel *Colonia Concordia Norbenſis Auguſta*. Confer denique hujus nummi fabricam cum Illicitano altero, de quo mox dicemus: in quo Duumvirum nomina nummi ambitum occupant: cum in Norbenſi militaribus ſignis impoſita emineant: intelliges profecto, ſi ſapere cum harum rerum peritis volueris, non ejuſdem loci aut officinæ utramque conflaturam eſſe.

ILLICITANAM coloniam dici Juliam, non immunem, oportere.

UNICUS, ſed idem inſignis, Illicitanæ coloniæ num-
mus a te commemoratur, ſub Tiberio, pag. 111. in
72. quo Duumviri appellantur, M. AEMILIVS. SEVE-
RVS. T. COELIVS. PROCVLVS. IIVIR. atque
inter militaria ſigna, litteræ C. I. IL. A. hoc eſt, ut in-
terpretaris, alios ſecutus, quod nihil aſtutius ſoleas cogitare,
Colonia immunis Illice Auguſta. Qua vero auctoritate littera I.
immunem coloniam putas indicari? Plinii forte: nam cum

Digitized by Google

nos quoque teſtem allegavimus. *Colonia immunis*, inquit, *Illici, unde Illicitanus ſinus.* Hic porro theta nigrum a te præfigi oportuit, non aliis animadverſionibus noſtris, quas cenſoria virgula decuit eſſe prorſus immunes. Nihil enim hic Plinii auctoritas juvat : quando & ipſa pariter *Cæſarauguſta colonia immunis* ab eodem appellatur : & in Bætica *coloniæ immunes, Auguſta Gemella, Virtus Iulia, Claritas Iulia, Genua Vrbanorum :* & apud Paulum J C. libro ſecundo de cenſibus, *Barcinonenſes quoque immunes ſunt*, & alii plures : nec ea vox apta cognomini, nedum in nummis. Nam quæ alia civitas eam ibi præfert vel oſtentat, cum pari tamen immunitatis jure plurimæ perfruantur ? aut ex lapidibus marmoribuſque apud Gruterum quo alio ſcribi compendio vocem hanc edocemur, niſi tribus prioribus litteris IMM ? Legendum igitur, *Colonia Iulia Illice Auguſta* : ut ſuperius, C. I. C. A. *Colonia Iulia Corinthus Auguſta.*

L

LAODICEAM Syriæ primæ, coloniam ac metropolim a te appellatam eſſe, quæ nec colonia unquam fuerit, nec metropoleos prærogativam obtinuerit, niſi poſt annos amplius CCCXX. quam putaſti : utramque deinde dotem Laodiceæ ad Libanum a te injuſte eſſe ademptam, cui nos adſerueramus.

NUMMOS Laodicenſium ſic partiti ſumus, in opere noſtro de nummis, ut inſcriptos quidem ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ, alioſque, præſertim vero eos, in quibus coloniæ & metropoleos adjecta nomina forent, COL. LAOD. METROPOLEOS, Laodicenæ ad Libanum ſitæ, ſive Cœles Syriæ, invictis adſcriberemus 73. argumentis : Laodiceæ vero alteri, ſive ad mare poſitæ, inſcriptos ſimpliciter ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ, vel LAODICEON. Tu, ut diſſidere a nobis qua jure qua injuria decreviſti, in

contrariam prorſus partem abis, permutaſque, ſive perturbas potius oppidorum jura. Quo argumento? nullo. Nam Ulpianus quidem, quem laudavimus, pag. 285. conceptis verbis, *Eſt & Laodicena colonia*, inquit, *in SYRIA COELE, cui Divus Severus jus Italicum ob belli civilis merita conceſſit.* Potuitne planius Laodicenæ coloniæ ſitus, tempuſve quo deducta eſt, commonſtrari? Expungatur vox ea, Cœle, inquis, in Caracalla, pag. 55. Præclare! Annon hoc illud eſt, quod jam dixi, te judicii alieni ſecurum, quam ridiculum lectori te præbeas, penſi nihil habere: cum ea quæ in libris recta ſunt, quoniam cauſæ tuæ officiunt, inducere ac delere nihil verearis? Sed cur tandem ea vox expungenda? Quoniam Paulus, inquis, libro ſecundo de cenſibus, ſic habet: *Laodicea in Syria, & Berytus in Phœnice, juris ſunt Italici.* Idcircone, amabo, adverſari Paulum Ulpiano cenſes? Scilicet, ſi Syria Cœle Syria non eſt.

Jam metropolim exſtitiſſe in adminiſtratione eccleſiaſtica ſæculo quarto, atque adeo & civili jure, cujus formam in oriente ſecutas eſſe Eccleſias diximus, ſi quid in his rebus vides, intelliges ex ea perſona quam gerebat ejus urbis antiſtes Georgius, apud Epiphanium, hær. LXXIII. num. 1. ubi Λαοδίκεια appellatur, ἡ πρὸς Ἀντιόχειαν Δάφνης, ἤγουν Κοίλης Συρίας, *Laodicea quæ prope Antiochiam Epidaphnes, ſive quæ Cœleſyriæ eſt*, id quod latuiſſe viro ſummo videtur. Ex eo autem intelliges de hac Laodicea & illud accipiendum quod Herodianus refert, tametſi aliter accipis, Severum Imp. Antiochenſibus infenſum privilegia ademiſſe, quæ Laodicenſibus dedit, proximis ſcilicet, in Cœle Syria poſitis, Ἀντιόχεια Λαοδικεῦσιν. Metropolis denique in nummis quæ deſignatur, hanc ipſam eſſe & Scaliger agnoſcit ad annum ſecundum Probi: ipſiuſque æram illam eſſe, quæ in Laodicenorum nummis ſignatur, ut nos quoque monuimus. At hic non nobis dumtaxat, ſed & Scaligero bellum indicis: qua in pugna quis adjunget tibi ſe comitem?

De æra tamen Laodicenorum iſtorum cave fidem adjungas auctori chronici Alexandrini, ſive Paſchalis, quo nemo fallacior in rerum geſtarum temporibus conſignandis, præſertim uſque ad Diocletiani ætatem, ac ſubinde etiam poſtea,

Digitized by Google

Nam ille quidem Laodicenæ æræ initium ducit ab altero Cæſaris Dictatoris anno, ſive poſt V. C. DCCVI. At Hieronymus in Chronico, non quale quidem libri editi repræſentant, ſed ex optimæ notæ codice MS. bibliothecæ noſtræ, ad annum ſecundum Probi ſic habet: *Secundo anno Probi juxta Antiochenos* CCCXXV. *annus fuit : juxta Tyrios* CCCCII. *juxta Laodicenos* CCCXIIII. *juxta Edeſſenos* DLXXXVIII. *juxta Aſcalonitas* CCCLXXX. Initium igitur æræ Laodicenæ ab anno Urbis DCCXVII. repetendum eſt, Auguſti VIII. ante Chriſtum XXXVII. Sic annus CCCXIV. incidet in annum alterum Probi, qui Urbis Romæ MXXX.

Altera vero Laodicea ad mare a Plinio libera cognominatur, hoc eſt, ſuis vivens legibus: nec proinde colonia, quæ Romanis ſemper vivit inſtitutis. Ex illo tempore, qui coloniam appellarit, vel unum, ſi potes, teſtem appella. Metropolis autem quo tempore creata ſit ſi percontaris, accipe. Sub Juſtiniano Imp. hoc eſt, annis CCCXX. & eo amplius, ſerius quam putaſti. Avulſæ tunc a Syria prima urbes quatuor, ex quibus provincia conſtituta, quæ Theodoriados nomen habuit, a Theodora Juſtiniani conjuge. Tribus reliquis metropoleos nomine ac prærogativa Laodicea præpoſita eſt. Teſtes ſunt, præter ſubſcriptiones conciliorum, Notitiæ eccleſiaſticæ: ipſumque provinciæ nomen præfert ætatem. Decem igitur nummos, quos Laodiceæ ad Libanum ademiſti, pag. 55. 82. 119. 120. 242. 243. 244. & 309. tomi poſterioris, patriæ ſuæ poſtliminio redde.

Digitized by Google

M

MUNICIPIORUM & coloniarum nummis quæ maxime vulgaria ſymbola ſunt inſculpta, quid ſibi velint, te perperam explicuiſſe.

MUNICIPIORUM coloniarumque nummis impreſſas imagines quam præpoſtere interpreteris, non vacat in præſenti omnes excutere: duas modo, quæ ſunt tritæ ac vulgares ſeligimus: ſigna videlicet legionum, & bovis effigiem: ſive ſit ille unicus, ſive gemellos agat, ut aïs, colonus. Ordiamur a priore ſymbolo ac potiore, ſignis videlicet legionum. De quibus primo quid ſtatuamus, accipe: facilius pernoſces ex eo, quid tibi ſit emendandum.

Impreſſa nummis ſigna militaria, non deductos in coloniam milites ſignificant: quod tu ſexcenties doces: ſed recordationem beneficii a legionibus accepti, quæ præſidium in eo tractu, in eaque provincia agitarent. Deducti in coloniam quidem milites fuere, quis neſcit? at ex quo deducti aliquo fuere, jam non ibi milites, ſed cives deinde togatique ſunt: neque ægre obliviſcuntur ſeſe olim meruiſſe ſtipendia. Cum ergo in nummis illi ſigna militaria imprimunt, alio ſpectant: nempe ut ſignificent debere ſeſe legionibus ſuam pacem, ſuumque otium, negotiatorumque ſuorum ac viatorum ſecuritatem: nunc quidem equitum alæ turmæve, cum vexillum equeſtre ſolummodo, quam flammulam Vegetius vocat, nummi exhibent: ut in Cæſarauguſtanæ coloniæ nummis,
74. pag. 28. & 29. id enim equitum inſigne eſt, non manipuli peditum, ut exiſtimaſti, pag. 92. & aliis locis: nunc peditum manipulis aut cohortibus, cum ſigna militaria, orbiculis clypeolisve diſtincta repræſentant, ut paſſim: nunc etiam utriſque, cum utraque in eodem nummo ſymbola inſculpun-
71. tur: ut in Norbenſi nummo, pag. 54. quem tu Illicitanum vocas, in quo aquila cernitur, cum vexillo, & ſignis manipulorum.

Quot porro legiones, inquis, intelligi neceſſe eſt? Tot

præciſe, quot in nummis appellantur. Ternæ, exempli gra-
tia, in Cæſarauguſtano, pag. 22. ſub Auguſto, & ſub Tiberio, 75.
pag. 100. LEG. IV. VI. X. Quanquam hos iterum, mihi
crede, nummos inſpice: vide num IV. pro III. legeris: &
proclivis enim error eſt: nec quaternarium numerum aliter
putem pingi ſolitum illis temporibus, quam quatuor ductis
in hunc modum lineis, IIII. Binæ deinde, in coloniæ Pa-
triciæ numiſmate, pag. 62. ſub Auguſto, V. & X. Una de- 76.
nique, ſi vel ſigna pura ſint, ſine nomine ullius ſpeciatim
legionis, ut ſæpe: vel unica legio appelletur, ut in Acci- 77.
tano: in quo nunc LEG. VI. pag. 12. & 13. Auguſti prin- 78.
cipatu: nunc LEG. III. pag. 91. principe Tiberio occur-
rit. Nam cum citerior Hiſpania, quæ mari interno propior 79.
eſt, legionum duarum præſidium haberet: nunc uni earum,
nunc alteri, debere ſe ſuam ſecuritatem oppida præ ſe tulere,
atque adeo alterutram appellavere in nummis: quoniam
mos fuit, ut cum a duabus beneficium acciperent, nunc ſin-
gulas earum ſeorſim, nunc conjunctim omnes in nummis ap-
pellarent: tametſi quod utraque ad tutelam civium totiuſque
provinciæ operam ſuam conferret, ambas nihilominus inge-
nioſe pingerent. Nunc enim idcirco aquilæ binæ ſculpun-
tur in nummis, ut in Accitano, cum nomine unius ſolum-
modo legionis, LEG. III. pag 91. ſub Tiberio: vel nullo, 79.
pag. 145. ſub Caligula: itemque in Ruſcinonis nummo,
pag. 63. Auguſti principatu: ubi ob aquilas duas, epigraphen 80.
LEG. VI. *legiones ſextas* perperam interpretaris: cum ſen-
tentia ſit, e legionibus duabus, quæ viciniorem mari tractum
Hiſpaniæ citerioris tutarentur, gratiam ſe legioni ſextæ nunc
referre: ut modo tertiæ referunt Accitani, modo ſextæ.
Nunc aquila etiam unica ſignatur in nummo: ſed vel du-
plici perticæ inſidens, quo artificio gemina legio deſignatur:
tametſi aut nulla nominatim appellatur, ut pag. 92. ſub Ti- 81.
berio: aut appellatur unica, nempe VI. cui e duabus gra-
tiam ſe Accitani habere teſtantur, pag. 12. ſub Auguſto:
quemadmodum in altero nummo ante allato, tertiæ: vel
aquila ſtat inter vexilla duplicata, mixtis clypeolis ſive par-
mulis, ut pag. 13. quo inſigni duæ legiones deſignantur, quæ 78.
ſimul impoſitæ præſidio ſint: tametſi in uno nummo appel-

Digitized by Google

latur unica, altera in altero ſimiliter appellanda.

Occurrit & in Italicenſis municipii nummis aquila ſimili-
ter cum vexillo, duplici impoſita perticæ ſive haſtæ, inter
ſigna manipulorum, cum Druſi effigie, pag. 133. cum Ger-
82. manici, pag. 137. Quid illa porro indicat? quod neſciſti:
tutelam, præſidiumque equitum ac peditum geminæ legio-
nis, V. videlicet & X. quæ Bæticam tutaretur, ut nummus
76. coloniæ Patriciæ indicat, pag. 62. hoc eſt, Cordubæ, quæ
Italicenſi proxima municipio eſt.

In Hiſpania ſcilicet variæ ſubinde præſidii gratia fuere legiones. Ex antedictis quidem quatuor fuiſſe intelligis, III. V. VI. & X. ac forte IV. niſi legendo deceptus es, quod verius arbitror. Quatuor ibi fuiſſe Auguſti principatu, teſtis eſt Appianus, libro III. belli civilis: & ſub Nerone, Tranquillus in Galba: quem *principem ſextæ legionis auctoritate factum* Tacitus refert, libro V. Annalium. Evocatum autem ex Hiſpania ad imperium noſti, opinor. Sub Tiberio, ita prodente eodem Tacito, libro quarto, *Hiſpaniæ recens perdomitæ tribus habebantur*, quod & Strabo narrat, libro III. pag. 166. Subinde autem immutata hæc fuiſſe, aliaſque aliis temporibus legiones ibi fuiſſe, ſi quis ambigit, næ ille tum in vetere hiſtoria, tum in politia rudis ac peregrinus.

Jam extra Hiſpaniam pariter in earum civitatum agro tot
legionum fuiſſe præſidium collocatum, quot vel aquilæ cer-
nuntur in nummis inſculptæ, vel legionum nomina, extra
controverſiam eſt. His itaque ſuam ſecuritatem debere ſe
cives ſubinde agnoſcunt. Berytenſes, exempli gratia, quintæ
& octavæ, quas ibi in præſidio collocatas ab Agrippa Strabo
narrat. Horum nummi ſunt præcipui, pag. 15. ſub Auguſto,
83. & pag. 155. ſub Tiberio, ubi aquilæ duæ orbiculis inſident,
70. cum nominibus legionum, V. VIII. tum pag. 238. tomi
alterius, ſub Philippo, cum iiſdem nominibus viri duo cum
clypeis & vexillis, quæ legionem integram, hoc eſt, equites
peditesque repræſentant. Eo ſpectat & alter eorumdem
84. nummus, pag. 239. ubi Mercurius cum crumena plena pictus
ingreditur: quo ſymbolo viatorum mercatorumque ſecuritas
per Berytenſium agrum iter habentium, beneficio legionum,
indicatur.

indicatur. Legendum enim, uti monuimus, COL. IVL. AVG. FEL. BER. non ut tu perperam, FEL. HEL.

Cremna pariter colonia, pag. 115. ſub Elagabalo, aquilam 85.
exhibet inter duo ſigna militaria, mixtis vexillis equeſtribus: quo argumento toti legioni acceptam refert ſecuritatem ſuam. Similiter Antiochia Piſidiæ, aquilam cum vexillo habet inter ſigna militaria, ſub eodem principe, pag. 108. ſub Phi- 86.
lippo, pag. 229. ſub Decio, pag. 276. Sic & apud Geographos, cum alicui oppido legionis nomen adjicitur, hanc ibi eſſe in præſidio locatam argumento eſt. Quare apud Plinium, libro v. ſect. 1. *Cartenna colonia Auguſti, legio ſecunda* appellatur. In Numidia apud Ptolemæum, libro v. cap. 111. *Λάμβαισα legio Auguſta tertia*: in Arabia, *Βόστρα λεγίων*.

Nec tamen ubique legio integra præſidio impoſita eſt: nunc enim ſoli pedites, nunc equites ſoli huic muneri deſtinati. In colonia Patrenſi, X. & XII. vel, ſi ita vis, ſola XXII. legio appellatur, pag. 159. ſub Claudio: pag. 177. 87.
ſub Nerone: pag. 185. ſub Galba: pag. 203. ſub Domitiano: aquilaque unica ubique pingitur inter ſigna peditum. Item colonia Paria, ſub M. Aurelio, pag. 272. mulierem exhibet, 88.
quæ ſignum manipulorum dumtaxat manu tenet, altera cornu copiæ: ut annonæ ubertatem tutelæ militum debere ſe profiteatur: id quod & Berytenſis fatetur, Genio urbis cum ſimili cornu copiæ ac temone inter vexilla equitum poſito, pag. 238. ſub Philippo: quem tu nummum adhuc Heliopoli adſcripſiſti.

At in colonia Ptolemaïde, vexilla ſive quinque, ut pag. 89.
161. ſub Claudio, & pag. 181. ſub Nerone: ſive quatuor, ut pag. 231. ſub Hadriano, & tomi poſterioris pag. 83. ſub Geta, totidem equitum turmas, noſtro nunc quidem judicio, repræſentant. In colonia Troade equitatum ſignificat vexillum unum, turrito capiti adjectum, coloniæ ſcilicet, quam equites legionis Romanæ cujuſlibet tutarentur, pag. 216. ſub Trajano, & pag. 233. ſub Hadriano: item tomi tui 90.
ſecundi pag. 65. ſub Caracalla, pag. 132. ſub Elagabalo, pag. 182. ſub Alexandro Severo, & pag. 189. ſub Julia Mamæa. Lupa ſimiliter cum vexillo, in eadem colonia, pag. 146. in 91.

P

Aquilla Severa: quæ effigies & in Damaſçeno nummo idem ſignificat, cum adjecto nomine legionis, in qua mererent
92. ſtipendia equites, ſive LEG. VI. F. pag. 258. ſub Otaci-
58. lia: ſive LEG. III. GAL. pag. 308. & 320. ſub Gallo & Voluſiano.

Provincia Dacia in nummis habet nunc vexilla duo, in
93. quibus legionum ſcripta nomina, V. & XIII. pag. 230. tomi poſterioris, ſub Philippo patre: pag. 270. Philippi junioris principatu: pag. 281. ſub Decio: pag. 297. ſub Herennio: pag. 301. ſub Hoſtiliano: pag. 326. ſub Æmiliano: pag. 344. ſub Gallieno. Nunc vexillum unicum exhibet,
94. pag. 230. ſub Philippo patre, pag. 256. ſub Otacilia, pag. 283. ſub Decio: quod equitatum præciſe denotat, ſine numero legionum: ſed adjectæ in eo vexillo litteræ, D. F. Daciam Felicem ſignificant: Romano ſcilicet equitatu geminæ legionis, ut alii nummi docent, provinciam tutante ab hoſtium incurſionibus.

95. Colonia Deulton, pag. 224. ſub Philippo, vexilla duo habet, non cum aquilis quidem, ut tu exiſtimas, ſed cum aviculis, quæ fuerint illis temporibus turmæ cujuſque, vel etiam decuriæ equitum, inſignia. In media nummi area aquila eſt Romani imperii ſymbolum: ex quo intelligere eſt coloniam ibi profiteri, turmis decuriiſve equitum Romani imperii acceptam ſe referre incolumitatem ſuam.

Quin etiam progreſſæ ulterius coloniæ in gratia referenda. Nam & rem ſacram fecere, ipſo Duumviro, ſeu Magiſtratu coloniæ vel municipii ſacrificante, in hujus beneficii memoriam, hoc eſt, ob tutelam legionum. Declarant hoc nummi innumeri, in quibus Duumvir cum bobus incedit: ſive depictis retro ſignis militaribus, ut in colonia Berytenſi, quam
18. tu Heliopolim falſo vocas, pag. 95. in Macrino: & in Antiochia Piſidiæ, pag. 35. in Caracalla, & pag. 200. in Gordiano. Sive vexillo tantum inſculpto, quod equitatus, ut diximus, inſigne eſt: ut in Tyria, cum epigraphe, LEG. III. GAL. pag. 22. ſub Severo: pag. 32. ſub Julia Domna:
96. pag. 87. ſub Geta: pag. 97. ſub Macrino: pag. 314. ſub Treboniano. In Sidonia cum legionis Parthicæ nomine, LEG. III. PAR. pag. 127. ſub Elagabalo, & pag. 150.

Digitized by Google

ſub Annia Fauſtina. In Rheſænenſi, pag. 175. ſub Alexandro Severo. Cujus coloniæ nummus alter, pag. ſeq. genium urbis cum aquila exhibet, & in ambitu epigraphen, L E G. III. GAL. Quo ſignificatu? nempe ut incolumitatem ac ſecuritatem ſuam debere ſe profiteantur imperio Romano, cujus in limite poſiti Rheſænenſes, & beneficio quidem equitatus legionis tertiæ Gallicæ. Hoc & vexillum declarat, cum aquila junctum, in altero ejuſdem oppidi nummo, pag. 287. ſub Decio: in quo nummo annus P I H. hoc eſt, CXVIII. æræ Rheſænenſium adſcriptus eſt: & pag. rurſum 297. ſub Herennio nummus alter, in quo urbis Genius, & Genius legionis dextras jungunt ante aram. 97. 98. 99. 100.

In Sidonienſi nummo, pag. 118. ſub Elagabalo, aquila proræ navis impoſita, ſignum legionis claſſicæ, inſculpta cernitur: & coram ea Genius Sidonienſis coloniæ rem ſacram facit. Quorſum autem? nempe ob recordationem beneficii a legione claſſica, præſidioque ipſius, accepti. 101.

Denique memoris ſimiliter animi ſignificatio eſt in nummo Neapolitanorum e Samaria, pag. 321. ſub Voluſiano: ubi non Serapis, ut arbitraris, ſed Duumvir: nec aquila, ut putas, ſed minor avis, manipuli ſignum inſculptum eſt. Aries præterea cum ſpicis, ut mox dicemus, aream nummi infimam obtinet, ſummam ædes ſacra. Quo hæc univerſa conſilio? Nempe ut ubertatis agri ſui cauſam poſt Deos refundere ſe in tutelam præſidiumque Romanæ militiæ Neapolitani ſignificent. 106.

Vide jam quot tibi ſint ex opere tuo placita eradenda: quantæque tibi ſit laudi futurum, cum eos, a quibus hæc didiciſti, a nobis monitus, dedocebis.

I. Primum enim, falſum eſt, ſigna militaria ob id inſculpta in nummis eſſe, ut argumento ſint colonias ex veteranis legionum deductas eſſe: id quod tu locis ſexcentis doces. Neque enim illa deductos milites in coloniam, ſed in ejus coloniæ agro poſitos præſidio, indicant. Qua enimvero auctoritate confirmas, in municipium Italicenſe veteranos ab Auguſto fuiſſe tranſmiſſos, uti aſſeveras, tum in Druſo Cæſare, pag. 133. tum in Germanico, pag. 137. cur, inquam, ita ſtatuis? An quoniam impreſſa illius municipii nummis ſigna 82.

Digitized by Google

ſunt, perinde atque coloniarum? Municipium igitur a colonia nihil diſtat: quo quid dici poteſt a vero alienius?

II. Nec minus abhorret a ſimilitudine veri, ad indicandam coloniæ vetuſtatem, aut nummis Patrenſibus adjectum
nomen eſſe legionis XXII. ut narras in Claudio, pag. 160.
87. in Nerone, pag. 177. in Galba, pag. 186. in Domitiano,
pag. 204. in M. Aurelio, pag. 277. in L. Vero, pag. 297. in Commodo, pag. 314. aut aliis nummis ſigna præciſe militaria eſſe inſculpta, ſine nomine legionis, ut de Heliopolitanis prædicas ſub Julia Domna cuſis, pag. 29. de aliis alibi paſſim. Doce enim, ſi quid didiciſti, id quod nobis plane latere confitemur, qui poteſt ſignum militare, quæſo, vetuſtatem coloniæ potius, quam novitatem, indicare?

III. Ejuſdem farinæ eſt, quod aïs in Elagabalo, pag. 109. ſignis militaribus immunitatem coloniæ ſignificari: cum plurimæ ſint coloniæ non immunes, ut Accitana, Patrenſis, aliæque: quarum nihilominus impreſſa nummis ſigna militaria ſint.

IV. Figmentum quoque ingenii eſt haud ſatis in conjiciendo felicis, a nobis dilucide confutatum, quod in Tiberio doces, pag. 112. aquilam in coloniarum nummis depictam, veteranos eo deductos ſignificare, totidem e legionibus, quot ſunt in nummo aquilæ: imo & e duabus legionibus, vel ſi unica aquila ſit inter ſigna duo militaria. Alio has picturas ſpectare nunc, opinor, in aperto eſt.

V. Doces præterea Accitanæ coloniæ nummum ſub Auguſto percuſſum, cum ſignis militaribus, nomen habere le-
78. gionis ſextæ, pag. 13. ſub Tiberio autem, tertiæ, pag. 91.
79. eo quod ii, qui Auguſti principatu magiſtratus honore in ea
colonia fungerentur, ex legionis ſextæ veteranis originem traherent: qui ſub Tiberio, ex legione tertia. Quaſi plurimum interſit, aut omnino quidquam juvet, aut denique Duumviris honori & ornamento ſit, commemorare, & in ære ſignare, qua in legione ante annos ducentos meruerint ſtipendia majores ſui.

VI. Unius deinde ejuſdemque coloniæ ſæpe refers nummos alios bove ſignari, vel colono, ut vocas, boves agente: alios ſignis militaribus: idque argumento eſſe partim ex plebe,

Digitized by Google

partim ex veteranis coloniam eſſe deductam : ſive partim plebeïam eſſe, partim militarem : id quod de Cæſaraugustanæ coloniæ nummis prodidiſti, pag. 22. Auguſti principatu conflatis : de Ptolemaïde, in Claudio, pag. 161. in Nerone, pag. 181. in Hadriano, pag. 231. in Geta, pag. 83. De Patrenſi colonia in Domitiano, pag. 203. in Commodo, pag. 318. De Ælia Capitolina in Hadriano, pag. 222. De Antiochia Piſidiæ, in Caracalla, pag. 35. De Rheſænenſi in Alexandro Severo, 97.
pag. 175. Cui placito, vel, ut ego arbitror, commento potius, & illud ſimile eſt, quod de Troade colonia pronuntias, in Aquilia Severa, pag. 146. lupam in nummo inſculptam 91.
cum gemellis, togatorum civium inſigne eſſe : vexillum autem ſimul adjunctum, veteranorum. Cum ii, qui res Romanas vel leviter attigere, norint, ante Syllam quidem deductas fuiſſe colonias civiles complures, hoc eſt, e civibus : militarem, ſive e militibus, nullam memorari : poſt Syllam autem nullam civilem, militares quamplurimas exſtitiſſe. Quæ porro a te deſcribuntur numiſmata Imperatorum in coloniis percuſſa, num Syllana tempora antecedunt ? De bove autem nummis impreſſo, vel colono, ut aïs, boves agente, mox tecum agemus.

VII. Cum in eadem colonia cuſi nummi nunc colonum, ut aïs, exhibent, nunc ſigna militaria, (nulla autem fere colonia eſt, quæ non habeat utriuſque illius generis nummos :) id documento eſſe dicis, alterum Duumvirorum a civibus in coloniam deductis, alterum a militibus originem ducere. Sic enim conjectas in Auguſto, pag. 59. in Tiberio pag. 99. in Caligula, pag. 148. in Trajano, pag. 213. Utrum ergo e Duumviris in nummo uno colonus ille tuus, utrum in altero ſigna militaria deſignant ? nam ſi eo conſilio ſymbola mutantur, id certe noſſe aliquatenus intereſt. At utriuſque nomen ex æquo, atque eodem ſitu & ordine, in utroque nummo appellatur, & in eo qui colonum, pag. 147. 102.
& in eo qui ſigna exhibet, pag. 148. LICINIANO. 103.
ET. GERMANO. IIVIR.

VIII. Provinciæ Daciæ nummis legionum V. & XIII. 93.
nomina, in Philippo patre, pag. 231. in filio, pag. 270. in Decio, pag. 283. aliiſque, eo conſilio inſculpta ſimilite:

P iij

Digitized by Google

aſſeveras, ut id documento ſit eas legiones in colonias provinciæ eſſe tranſmiſſas. Dic ergo primum, quæ Daciæ coloniæ fuerint, præter unam, quæ Dacica ex eo dicta eſt, eademque Ulpia Trajana, nunc *Varhel* in Tranſylvania, ut diximus in libro de nummis. Deinde vel ſi plures eſſent, ſic mecum ſtatuito, ad provinciæ ſolummodo cuſtodiam, non ad conſtituendam, inſtaurandamve coloniam aliquam, legiones in oppidis caſtriſque eſſe collocatas.

IX. Berytenſes, dum ſigna militaria nummis ſuis ſub Julia Domna imprimerent, alluſiſſe fortaſſis ad titulum Matris Caſtrorum, quo donata illa a Senatu eſt, pari felicitate auguraris, pag. 25. tomi ſecundi. Quæ conjectatio, præterquam quod falſa eſt, ut diximus: quam incertæ, quam parum firmæ tuo ipſius judicio ſint aliæ tuæ priores de iiſdem ſignis ſuſpiciones, palam facit.

X. Strabonem aïs pag. 238. in Philippo ſeniore, ex nummis maxime illuſtrari: quod cum is Beryti collocatas dicat ab Agrippa legiones duas, nummi docent non ad hiberna, ſed ad coloniam eo traductas. Dignus profecto locus, in quo rurſum exclames, ut facis ſubinde, tum tomo priore, pag. 62. cum de hac ipſa tranſductione legionum in colonias verba facis: *Quanta igitur ex rei nummariæ monumentis hiſtoriæ lux, quæ ſine eorum ope multa caligne involuta permaneret?* tum tomo ſecundo, pag. 176. *Quanta igitur hiſtoriæ lux e nummis?* Quo loco videlicet ex iiſdem perperam intellectis id colligis, quod proxime antea num. VI. falſum eſſe evicimus. Hoccine eſt, amabo, Strabonem illuſtrare, ſi longe aliud quam quod dicit, tu explicatis præpoſtere nummis adſtruas? Ille in præſidium locatos ibi milites tradit, libro XVI. pag. 756. *δύο τάγματα ἵδρυσεν Ἀγρίππας ἐνταῦθα.* Tu deductos in coloniam prædicas. An ſunt hæc duo hujuſmodi, ut ex altero alteri lux accedat?

Denique, ut ne in hoc uno loco moram trahamus longiorem: dignum notatu narras eſſe, pag. 29. in Auguſto, quod vexillum ſolummodo in minimæ formæ nummis Cæſaraugustanorum appareat: non etiam cum bobus colonus. Quaſi vero mirabile ſit, aliud nihil in exiguæ molis nummo deſcribi, quam quod loci anguſtiæ ferant. Sed de ſignis militari-

bus ſatis : ad alterum nunc ſymbolum veniamus.

Bovem municipiorum coloniarumque ſymbolum appellas
ſexcenties : ad indicandam originem deductæ primis imperii
temporibus coloniæ, colonum boves agentem, ducentem-
que aratrum, in nummis ſignari : ſic enim aïs. in Nerone,
pag. 169. & in Trajano, pag. 212. Sed quem colonum putas,
ſi caput viri velatum, veſtem denique ipſam totam attentius
contemplere, in Cæſareæ nummo præſertim, quem ſub Ma-
crino exhibes, pag. 91. (ex hoc autem uno diſce omnes :) 104.
præſertim ſi quem Patinus vulgavit, pag. 322. ejuſdem op-
pidi nomine, ejuſdemque Auguſti effigie, huic adjungas : 105.
in quo bos unicus, non ut alibi jugatus depingitur : neque
is, quem colonum appellas, bovem agit, ſed dexteram in
cælum tollit : nam cur bos in agricolatione unicus? Sed ſi
boves pariter in pleriſque nummis inſculptos probe inſpexe-
ris : intelliges non colonum, ſed magiſtratum ipſum Flami-
nis habitu : non aratrum, ſed ſcipionem, cui innititur, ibi
ſculptum eſſe : lituum etiam, clariſſimum inſigne auguratus,
altera illum manu geſtare, tum alibi paſſim, tum apud Anton.
Auguſtinum, Tab. XVI. num. 13. apertiſſime : ex quo ean-
dem eſſe ceterorum numiſmatum formam intelliges : boves
denique ipſos vittatos, & ut appellas, mitratos infulatoſque
eſſe, hoc eſt, ſacrificio deſtinatos, pro incolumitate princi-
pis, cujus legiones coloniæ vel municipii ſecuritati milita-
rent. Quod cum a nobis jam dictum eſſet, pag. 118. tu ex-
ſufflas & rides, pag. 103. an jure merito, eruditorum judi-
cium erit. Quin tu ipſe etiam, ſi tibi conſtare cupis, nobis
ſuffragabere : qui vittatum bovem tum in Cæſarauguſtano
nummo agnoſcis ſub Tiberio, pag. 96. ſacrificii cauſa pro
principis ſalute : & in Graccuritano, ſub eodem, pag. 110.
& caput bovis ſacrificiorum inſigne appellas, ſic enim lo-
queris pag. 102. & tomo denique 2. pag. 18. ſacrificatum
velato capite, quale eſt Flaminum in hiſce nummis, *ex Ænea*
dicis. Ab Æneæ facto ortam hanc eſſe conſuetudinem dicere
voluiſti : de qua locus inſignis eſt apud Cyprianum, quem
tibi indicabo, libro de lapſis : *Ab impio*, inquit, *ſceleratoque
velamine, quo illic velabantur ſacrificantium capita captiva, ca-
put veſtrum liberum manſit.* Si veritati igitur, ut virum pro-

bum ac frugi decet, aliquando ceſſeris: ſi ea reſecueris, quæ de utroque ſymbolo a te perperam, & creberrime tamen, uſque ad faſtidium & tædium inculcantur: dimidio ſaltem operi tuo inducendam eſſe ſpongiam confitebere: pars altera deinde reliqua conſtabit ſolum ex his, quæ nos hoc libello reprehendimus. Quam dignus ſit parente fetus, exinde intelliges.

N

NEAPOLITANI in Samaria nummi ſymbolum a te perperam explicatum eſſe.

VOLUSIANO principe cuſus Neapoli in Samaria num-
106. mus inter cetera arietem & ſpicas exhibet, pag. 311. tomi poſterioris. Tu ariete aïs vernum tempus *deſignari, quo annum ſub hoc ſigno Neapolitani inchoare ſolerent, quemadmodum Antiocheni & Damaſceni, qui pariter arietem in ſuis nummis eam ob cauſam exhibent.* De Antiochenorum certe duplici æra ſi paulo attentius ea legas quæ diximus, intelliges ſaltem illam, quæ Auguſtana dicta eſt a nobis, duxitque initium ab Actiaca victoria, non a verna tempeſtate, ſed ab autumnali, cœptam eſſe. Damaſceni ſi Seleucidarum æram ſecuti ſunt, ut ſimile veri eſt, ab Hyperberetæo, ſive Octobri Juliano, anni ſui duxere exordium. Verum ut ut eſt de ceteris, quin igitur in iſto Neapolitanorum nummo verticem obtinet aries, quo ſignum cæleſte dignoſcatur eſſe? cur humi graditur? Quod ſi ariete ver deſignatur, an etiam ſpicis grano onuſtis? Sed tricas nugaſque mittamus. Nihil profecto hic verno ſideri loci. Illud nimirum eſt: ut ſpicæ fertilem uberrima fruge campum, ſic aries paſcuis lætum, & felicem alendo pecori ſignificat. Nihil amplius.

NORBENSIS

Digitized by Google

Norbensis nummi interpretationem noſtram a te fruſtra vellicari : quam te ipſum imitari alibi decuit.

Laudatus antea nummus Norbenſis coloniæ, ſub Caïo & Lucio Cæſaribus, caput Auguſti ex parte averſa exhibet, cum hac epigraphe, AVGVSTVS. D. D. C. C. N. C. hoc eſt, interprete te, ac litterarum ordinem pro arbitratu invertente, *Auguſtus. Colonia Concordia Norbenſis Cæſariana. Decreto Decurionum. Non autem*, ſic pergis dicere, *Decuriones Coloniæ Concordiæ Norbenſis Cæſarianæ, ut tradit P. Harduinus, pag.* 362. 51.

Quid? ſi juſſerint Decuriones, non perinde eſt ac ſi dicatur, decreto Decurionum? Non ipſi, quæ ſint decreta decurionum, expoſuimus, pag. 124? Non pag. 108. atque alibi paſſim, has notas D. D. legi poſſe monuimus, *Decuriones*, vel *Decreto Decurionum*? Non hoc potiſſimum loco contextus ac ſeries litterarum jubet *Decuriones coloniæ* legi? Quæ prurigo hæc reprehendendi eſt, ubi nihil ſit, quod vituperes? Ignoſce: monui ſemel iram nunc a me ſimulari, cum nulla ſit. Sacro liceat interim uti adagio: Medice, ipſe te ut cures, oro. In nummo Uticenſium, pag. 124. quid legis? M. MVN. IVL. VTICEN. D. D. P. P. Quomodo porro interpretaris? *Municipes municipii Iulii Vticenſis. Decuriones poſuere.* Atqui quod nunc conſilii das, id accipi iſtic a te in rem tuam oportuit: reddique in hunc modum has litteras, *Municipes municipii Iulii Vticenſis, decreto Decurionum poſuere.* Sic certe tum ratio, tum contextus orationis poſtulat: neque enim ſoli decuriones: ſed decreto decurionum, & quaſi Senatuſconſulto, quoniam curia in coloniis municipiiſve Senatus inſtar Romani fuit, municipes civeſque poſuere.

NUM. REST. nummum ideo prætermiſſum a te, quod non intellexeris.

107. JAM quoniam ordo litterarum ita fert ac patitur, ut de nummo inſigni Galbæ in tranſcurſu agam, qui REST. NVM. inſcribitur, vulgatuſque eſt a Seguino, dic, amabo, quamobrem hunc omiſeris. Nos enim olim interpretabamur, *Reſtituta Numantia.* An quod ea dumtaxat numiſmata Imperatorum aggreſſus es, ut fert titulus operi tuo inſcriptus, quæ *in coloniis, municipiis, & urbibus jure Latio donatis ſint percuſſa:* quo jure Numantia forte caruit? At unde jure Latio, (cogis me perpetuo tecum barbare loqui: nemo enim idoneus Latinitatis auctor jure Latio dixit, pro jure Latii:) unde ergo jure Latii donata hæc oppida didiciſti, quorum nummos profers in medium, Abderam, Juliam Traductam, Læliam, Segobrigam? Hanc certe poſtremam in primis ſtipendiariam fuiſſe Plinius noſter aït, Latii veteris jure donatam negat. Cur igitur non fuit inter iſtas & Numantiæ locus?

An tu fortaſſis *Numidiam reſtitutam* mavis? ideoque prætermiſiſti, quod non ad colonias vel municipia pertinere tibi videretur? Atqui de Numantia reſtituta accipi oportere certis documentis evicimus: quæ urbs, ut Plinius admonuit, in Clunienſi conventu fuit: Cluniæ autem cuſus ille pariter vulgatiſſimus ejuſdem Galbæ nummus, HISPANIA. CLVNIA. SVLP. An verebare, ne iſtud a nobis accepiſſe videreris, quoniam nemo præiviſſet? Quot alia perbona mutuatus a nobis fuiſti, quæ tu aſtute diſſimulaſti? qui ſatis habueris, ut jam diximus, in præfatione generatim ac verbulo uno obiter confiteri, te per alios profeciſſe: ut hæc confeſſio videlicet omnem de furto accuſationem eluderet.

Eſſe autem aliquos, qui tibi præiverint, qui poſtquam priores noſtros conatus de Nummis veterum publici juris fecimus, Numantiæque hunc ibi nummum adſeruimus, pro Numidia nihilominus ſententiam dixerint, Numantia ablegata, vix arbitror: quanquam ſcio a te nihil afferri propemodum, niſi de aliena promptum officina. Quin eruditorum

Digitized by Google

autem ea de re conſilium prius exquiſiſti? Quin virorum illorum in primis Senatum adiiſti, qui nuper in Illuſtriſſimi Ducis AUMONTII, nunc in Illuſtriſſimi Præſidis BIGNONII ædes, hebdomadis ſingulis de veteribus numiſmatis diſputaturi confluunt? quos quidem eſſe tum eruditione, tum ſagacitate præſtantes, tum ab humanitate omnibus caros, fama eſt omnium ſermone celebrata. Horum nemo tibi non eſſe oraculi vice debet: nemo hunc animo tuo errorem inſidere paſſus eſſet. Habes in his, ut nunc ceteros ſileam, Virum clariſſimum, ejus cœtus præſidem, ſeu Directorem, ut vocant, D. DE LA CHAPELLE, dignum ea loci atque honoris prærogativa, dignum illo eruditorum virorum, qui primum ei locum conceſſere, judicio: quippe cujus ingenio futura ſit exteris gentibus, poſteriſque, LUDOVICI MAGNI virtus ac fama celebratior. Nam res ab eo geſtas in nummis deſcripſit, quos cum admiratione ac voluptate vidimus, cenſuimuſque & elegantia & acumine cum numiſmatis antiquis certare.

Quod ſi tantis viris neglectis, ad alios quoſpiam obſcuros homines te tranſtuliſti, qui tecum Numantiæ novum bellum indicendum eſſe decreverint: dic, ſodes, quamobrem ita cenſuere? Forte quod exſtincto Clodio Macro, qui res novas in Africa moliebatur, provincia eſt legitimo principi Galbæ reſtituta. Quid? Cum Hadrianus Auguſtus dicitur tot provinciarum reſtitutor, eone ſenſu reſtituiſſe dicitur? O viros plane dignos, qui ubi de latinitate lis erit, inter judices audiantur: qui reſtitutam provinciam, principi reſtitutam ſeu redditam interpretentur.

Nam quid reſtitutum dici merito poteſt aut debet? ſane quod ſpretum, quod ante dejectum ac profligatum, quod afflictum, perditum, collapſumque ſit. Quæ poteſt autem Numidiæ vexatio intelligi, eo quod per primum forte imperii Galbæ menſem ad ſummum, Clodius Macer cum legatus pro Prætore Africæ eſſet, id quod ejus nummi teſtantur, CLODIVS. MACER. PRO. PRAE. AFRIC. legionem, ut Tacitus narrat libro ſecundo, cohorteſque delegit ex officio ſuo? Si Galbæ imperium excutere ſecretis conſiliis molitus eſt, num idcirco afflicta Numidia eſt? num

hæc cauſa juſta & æqua fuit nummi cudendi, vel ænigmatis potius? nam quis exſtinctum tyrannum, conſilia rerum novarum meditantem, ſi reſtitutam Numidiam audiat, intelligat? Dicerent nummi, LIBERTAS. RESTITVTA, qualis eodem principe nummus occurrit apud Occonem & Mediobarbum. Verum haud magnam præ ſe tuliſſe lætitiam Afros ob Macri necem, ſed hanc moderate accepiſſe, ea Taciti verba teſtantur: *Africa, ac legio in ea, interfecto Clodio Macro, contentæ qualicumque principe, poſt experimentum domini minoris.* Gaviſos ea nece Numidas magis quam Afros, hoc eſt, quam provinciæ Proconſularis incolas, aut gratulatos Galbæ fuiſſe ob eam rem cum majore ſignificatione lætitiæ, quo quis probet auctore vel teſte?

Si bellis attrita provincia, vel fame, foret, ac beneficio deinde principis eadem recreata, merito ab eo RESTITVTA diceretur. At bellum in Africa Clodii Macri cauſa nullum fuit, nullus tumultus: aut ſi fuit, unius horæ Carthagine fuit: in Numidia certe omnino non fuit. Statim Macrum oppreſſum, facto in illum ab equitibus impetu, ut poſtea in Piſonem Proconſulem, a Macri ſucceſſore Valerio Feſto, narrant Tacitus ac Suetonius.

At idem Tranquillus Galbam narrat, inquies, *Africam proconſule biennio obtinuiſſe, extra ſortem electum, ad ordinandam provinciam, & inteſtina diſſenſione, & barbarorum tumultu inquietam: ordinaſſeque magna ſeveritatis ac juſtitiæ cura, etiam in parvulis rebus.* Nec diffitemur utique: an vero in nummo putas, qui Galba imperatore conflatus ſit, ea commemorari, quæ multis ante annis pro conſule egerit? Non & per annos octo Hiſpaniam citeriorem rexit, ubi Numantia fuit, inde proxime ad imperium evocatus? Cur ergo ob res ante imperium geſtas Numidiam hoc loco quiſquam potius quam Numantiam legat?

Sed piget tamdiu altercari, cum verbo confici res uno poſſit. Nego nummum Numidiæ nomine ullum exſtare: nego ullum eo nomine inſcriptum illis temporibus, ut res erant, cudi potuiſſe. Quid ita? Quoniam tametſi Africa & Numidia provinciæ olim duæ inter ſe diſcretæ forent: nihilominus tum Galbanis temporibus, tum ſubſecutis ſaltem

Digitized by Google

uſque ad ultima Hadriani tempora, civilis una, cum Proconſulari, & Byzacio, Tripolitanoque tractu, provincia fuit, ſub uno Africæ nomine, ſub uno Proconſule, ſub uno legato ſeu proprætore, qui legionem Proconſuli dudum ablatam, ut Tacitus libro IV. refert, in Africa regeret. Aliam, ſi potes, cauſam affer, quamobrem cum ſub Hadriano principe, a quo tamen Vicarii Africæ, aliique ſunt inſtituti, atque adeo & Conſulares Numidiæ, Byzaciique: cum illius, inquam, principatu nummi occurrant inſcripti, AFRICA, & ADVENTVI. AVG. AFRICAE, & RESTITVTORI. AFRICAE: item MAVRETANIA, & ADVENTVI AVG. MAVRETANIAE, & RESTITVTORI. MAVRETANIAE: nulli tamen ſimiles de Numidia, Byzacio, Tripoli, viſi uſquam fuerint. Annon ab Africa in Mauretaniam per Numidiæ campos iter eſt? cur ergo nulli ibi ſimiliter Hadriani nomine nummi percuſſi: niſi quod Africæ nomine Numidia tunc contineretur? ut ſub Mauretaniæ appellatione triplex Mauretania, Sitifenſis, Cæſarienſis, Tingitana. Diceret ergo nummi artifex & auctor, non NVMIDIA, ſed AFRICA RESTITVTA.

Quod ſi adhuc nihilominus ab eodemne magiſtratu, Proconſule ſcilicet Africæ, illis præſertim, quæ dixi, temporibus, utraque regio adminiſtrata fuerit, ambigis: perlege Taciti de Galba, Othone, & Veſpaſiano hiſtorias, quæ Africam, Mauretaniaſque commemorant, de Numidia ſilent.

At iis adhuc haud dubie faves, qui reſtitutam Numidiam malunt. Idcirco enim *Babbenſes Numidiæ Tingitanæ* pag. 184. & 185. Neronis excuſſo jugo Galbæ partes ſecutos eſſe dicis, atque in ejus nummis Victoriam inſculpſiſſe, quæ dextra coronam gerat, ob Clodium Macrum ſcilicet in Africa interemptum. Dic ſodes, unde Numidiam Tingitanam hauſiſti? Mauretaniam dicere, opinor, voluiſti. Sed quid Mauretania, ſive Tingitana, in qua Babba fuit, ſive Cæſarienſis, Galbæ gratularetur ob Macrum interemptum, a quo neutram ſtetiſſe Tacitus admonet? cur de Macro potius, quam de hoſtibus univerſim devictis novo principi

gratularetur ex more ? Sed ad nummum, de quo lis eſt, re-
vertamur.

Te vero egregium fabricæ Hiſpanicæ in nummis dijudi-
candæ, atque adeo ab Africana diſcriminandæ arbitrum.
Ubinam cum muliebri capite, quod averſam nummi aream
obtinet, aliquod ex iis quæ ejuſmodi capitibus in Africanis
nummis adjungi ſolent, inſigne Africæ ? qualia ſunt a nobis
olim commemorata: ſive ſpicæ, quibus illius tractus fertili-
tas deſignatur, ſive elephantinæ exuviæ, ſive ſcorpius, ſive
leo. Atqui adjice iterum oculos cum dioptra & ſpeculari:
agnoſce vultum in eo nummo deſcribi femineum, plane ſi-
108. milem ei, quem in Obulconis nummo, qui Regii cimelii eſt,
multi nobiſcum viderunt: eſt autem Obulco Hiſpaniæ oppi-
dum, quod Pontificenſe cognominari Plinius ait: quem ipſe
vultum in Turiaſonis nummo ſemel iterumque exhibes, pag.
109. 70. & 77. Turiaſo autem ab urbe Numantia paucis admodum
diſtat leucis. At tu, optime vultuum ac perſonarum judex,
priore loco Agrippinæ ſenioris vultum, tametſi *fabricæ rudis*
agnoſcis: poſteriore, Juliæ Auguſtæ. Quid aïs ? vigilanſne,
an dormiens hæc ſcribebas ? cum ſint inter ſe ſimillimi vul-
tus duo, nec habeat Livia quidquam certe Agrippinæ ſi-
mile: & ipſam Turiaſonem, ſeu Turiaſonis Genium, femineo
vultu, ut plerumque fit, repræſentari, titulus ipſe TVRIASO
utrique vultui appoſitus edoceat: tamen alterum Liviæ,
Agrippinæ alterum pro arbitratu adſcribis ?

Plane horum ſimile caput muliebre in nummo Caligulæ,
50. pag. 149. Norbam Cæſarianam indicat, ejuſdem fere tractus
civitatem: eadem certe fabrica, idem capitis tenor. Sed
multo ſimilius in eo nummo Galliæ Narbonenſis, quem re-
110. fert Patinus, in gente Æmilia, nos primi explicuimus pag.
107. C O L. ex parte una exhibet: ex altera, C A B E. hoc
eſt, *colonia Cabellio*: quo in nummo Genius pariter civitatis
exprimitur, capite muliebri, quale in Numantiæ nummo vi-
ſitur: non, ut alibi, turritum illud quidem, ſed nudum, cir-
ris crinium inter ſe decuſſatim implicitis, uſque ad occipi-
tium: ubi geminam tergeminamve in caudam diviſi in hume-
ros defluunt. Horum ergo cum ſimillimum ſit ac plane ge-
minum illud, quod in eo nummo cernitur, de quo contro-

verſia eſt, quid ceſſas in eo pariter, non provinciam, ſed urbem agnoſcere? Numantiam videlicet, quam *Soria* nunc incolæ vocant, e Numantiæ veteris ruinis, ac juxta eam proxime Galbæ auſpiciis excitatam. An plura enim argumenta deſiderare quiſquam poſſit, quæ hunc Numidiæ abjudicent, Numantiæ adſerant?

O

OEENSEM coloniam, non Æliam, ut exiſtimas, ſed Antoninam eſſe appellatam.

EST Antonini Pii nummus, pag. 247. ita inſcriptus,
C. A. O. A. F. hoc eſt, ſi te quidem audimus inter- III.
pretem, *Colonia Ælia Oea Auguſta Felix*: atque hanc interpretationem nobiſcum aïs olim a te communicatam. Nec mea voluntas profectо, nec conſuetudo, nec natura fert, ut convitiis libenter utar: nec niſi ægre admodum parœmiam veterem ſuggero, quam Græce dicam, quo minus tibi moleſta ſit: Χρὴ ψευδῆ εἶναι μνήμονα. Negas pag. 281. fuiſſe nobis cum ſtudioſis rei nummariæ ſermonem aut commercium: dicis hoc loco fuiſſe tecum. Ubi, quandove vis tibi credi? Neſcis deinde Logicæ tirones quid illaturi ſint ex utroque illo antecedente? nempe, non eſſe te igitur rei nummariæ ſtudioſum. Vel ſtructa aliter argumentatione: Tu rei nummariæ ſtudioſus: non habuit is, quem laceſſis, cum rei nummariæ ſtudioſis commercium: non habuit ergo tecum. Quandonam igitur id arcanum cum illo communicaſti?

Me negas ibidem varia cimelia exploraſſe: cujus incuriæ crimen ridicule conjicitur in eum, qui ſaltem Regium diligenter luſtrarit: quod feciſſe nos, cum eſſet in hac civitate, tum ex iis diſcere potuiſti, quorum illud fidei ante annos quinque commiſſum erat. tum ex iis quæ in Amidenſi nummo, pag. 27. aliiſque ſcripſimus. Sed ecquid erat iſto labore opus ad hunc nummum illuſtrandum, quem in cimelio noſtro adſervari monui, tum in libro de nummis, tum in priore Plinii volumine, quod multo antea fuit typis excuſum? Atqui non excutiam hoc loco, ne animo eſſe videar tibi ſubirato, num

is ſis qui poſſis quemquam docere : qua de re judicium ex tuo opere facient eruditi. An tu vero cimelium San-Genoveſanum luſtraſti, ut Antiquarium bene peritum decet ? qui dicas tomo 1. ſelect. numiſm. pag. 51. ibi nummum exſtare Trajani, ſic inſcriptum : TR. POT. VIII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. P. P. Nam eſt nummus ille adulteratus ab aliquo impoſtore : cujus fraudis exſtant etiamnum veſtigia. Cum enim prius ſcriptum in eo nummo eſſet, S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. adhuc ſuperſunt conſpicuæ litteræ poſtremæ duæ, PI, quas doli architectus non eraſit..

Quod vero interim me a te de Oeenſi colonia accepiſſe criminaris, conſidera, ſi me amas, teque, quid loquare. Sic enim habeto, id me ipſum quod dixi, nunc indictum cupere & velle. Neque enim, ut cenſes, COL. AELIA. legi decuit, ſed COL. ANTONINA, vel ANTONINIANA OEENSIS AVGVSTA FELIX. Tum quod A pro AE, quemadmodum diximus, ut Ælii nomen indicetur, ſive in nummis, ſive in marmoribus, prorſus reperire non eſt, & eſt contra regulas artis : tum quod ab Antonino id nomen accepit, cujus ſub nomine cuſus hic nummus eſt ; teſtante Holſtenio in adnotationibus ad Ortelium, pag. 134. viſum a ſe nummum ita inſcriptum, COL. AELIA. ANTONINA. OEA. AVGVSTA. Qui Holſtenii liber quoties a me laudetur in Plinianis notis qui obſervavere, exinde me potius nummi hujus interpretationem furatum dixerint, quam a te fuiſſe mutuatum. At Antonino Ælii quidem nomen fuit, ſed cognomen Antonini peculiare. Quare ſi alterum dumtaxat e duobus inſculpi nummo neceſſe ſit, ob areæ anguſtias, Antonini cognomen intelligi ſignarique neceſſe ſit : ne ſi Æliæ nomen ponatur, ad Hadrianum potius quam ad Antoninum id cognomentum referatur. Habeſne jam quod glorieris nobiſcum te quidquam boni communicaſſe : cum de hac ſolum re toto opere, hoc eſt, de errore communicato glorieris ? Cujus cauſa profecto non tibi apud Oeenſes, ut olim Apuleïo, quemodmodum narrat Auguſtinus epiſtola quinta, ſtatua locabitur : ſed eruditorum ſenatui riſus dabis.

OLBIÆ

OLBIÆ ut nummos duos adſcriberes, qui ſunt Olbabenorum, neque qui Olbabeni eſſent, te noſſe: & ex duobus oppidis unum conflaſſe.

GEMINUM eadem una pag. 210. tomi ſecundi nummum affers: alter Gordiani junioris Auguſti, alter Juliæ Mæſæ nomine inſignitur. In averſa area Bacchum alter, alter Deum Lunum equo vectum exhibet. Epigraphe prioris eſt, COL. OLBA.... reliquis exeſis detritiſve litteris. 112.
Poſterioris, COL. IVL. AVG. OLBABEN. Cui tu 113.
porro oppido utrumque adjudicas? Olbiæ Pamphyliæ civitati: quam negas Olbiam recte appellari, cum Olbam nummi vocent. Atqui non Olbam, ſed Olbabam vocant. Pamphyliæ vero oppidum, quod nunc deſignari putas, a Strabone, quem laudas, & a Ptolemæo libro v. cap. v. concordiſſime Ὀλβία, a Plinio noſtro, libro v. ſect. XXVI. Olbia nuncupatur.

At Stephanus Olbam aït, non Olbiam appellari. Sane: ſed non illam intelligit, quam tu arbitraris. Fruſtra hunc igitur in partes trahis, & ſuffragium exprimis ab invito. Olbia Plinii, Strabonis, ac Ptolemæi, appoſita litori eſt, in Lyciæ Pamphyliæque confinio. Quam Olbam Stephanus commemorat, in mediterraneo Pamphyliæ fuit. Ipſum audi, plures ubi refert ejus nominis civitates. Τετάρτη, inquit, Παμφυλίας, ὡς Φιλόξενος. Οὐκ ἔστι δὲ Παμφυλίας, ἀλλὰ τῆς τῶν Σολύμων γῆς. Καὶ οὐδὲ Ὀλβία, ἀλλ' Ὄλβα καλεῖται. Καὶ οἱ πολῖται Ὀλβαῖοι.... Λέγεται καὶ Ὀλβηνός. *Quarta, Pamphyliæ, ut Philoxenus. Non eſt Pamphyliæ, ſed Solymorum terræ. Neque Olbia, ſed Olba vocatur. Cives, Olbæi..... Dicitur etiam Olbenus.* Negat Stephanus eſſe Pamphyliæ civitatem, quam commendat: tu aſſeveras: an igitur Stephanus tecum facit? Arcanum accipe.

Pamphylia gemina ſaltem fuit: altera ad mare inferior, ſuperior altera ad Taurum montem. Hic Solymi coluere, ſive Piſidæ: eſt enim Piſidia Pamphyliæ pars a mari remotior. Plinium noſtrum audi, libro v. ſect. XXIV. *Inſident verticem* montium *Piſidæ, quondam Solymi appellati: quorum colonia*

Cæſarea, *eadem Antiochia*. Vides ergo ſitu magis locorum, quam ipſo nomine, Olbiam ab Olba diſtare. Jam ſi Ptolemæum Stephanumque cum Plinio contuleris: & illum quidem Ὄλβασα commemorantem tribus locis: primum in Piſidia, libro v. cap. v. cum Cremna colonia: rurſum cap. vi. in Antiochiana præfectura: denique cap. viii. in mediterraneis oppidis Cetidis, quæ regiuncula Ciliciæ eſt, Antiochianæ præfecturæ contermina: quatuor tu mecum, quæ ſunt perſpicua, colliges.

Primum eſt, Stephanum, ut parœmia vulgari utamur, rogatum de cæpis, de alliis reſpondiſſe: quod cum apud Philoxenum legeret Olbiam Pamphyliæ civitatem, litoralem ſcilicet, Straboni pariter, Plinioque, ac Ptolemæo memoratam: ipſe hac prætermiſſa de Olba Solymorum, ſive Piſidarum, ſermonem fecit.

Alterum eſt, Olbam Stephani, quam Solymorum eſſe dicit, in Antiochiana præfectura poſitam videri: ubi, teſte Plinio, colonia Antiochia in Solymis præcipua exſtitit.

Tertium eſt, id quod Ptolemæo ſubinde familiare eſſe alias monuimus, nunc quoque eidem contigiſſe: ut ex uno eodemque oppido tria diverſa ſtruxerit: quem tu e diverſo æmulatus, ex duobus unum conflaſti.

Quartum denique ac poſtremum eſt, unius ejuſdemque oppidi tria nomina exſtitiſſe: Ὄλβα enim Stephano, & Concilio VI. Oecumenico, Ὄλβασα Ptolemæo, neque illi ſolum, ſed & in Notitia epiſcopatuum Græca, ubi Pamphyliæ ſecundæ adſcribitur, cujus Perga metropolis eſt: denique in nummo, niſi legendo deceptus es, Olbaba nuncupatur. Sed ne crede nimium oculis, oro, tuis: adſcititios adhibe: admove conſpicillum: & cave, ne cum ter apud Ptolemæum, ac denuo in Notitia, quam dixi, Ὄλβασα ſcribatur, unus tu tot teſtibus temere mendacium exprobres.

Jam in eo nummo cur Deus Lunus depictus ſit, fruſtra rogaveris, ea ſi relegas, quæ in Antiochiæ Piſidiæ nummis a nobis ſunt prodita. Adjuvat de Olbabæ ſitu conjecturam Cremna colonia, a Ptolemæo in eodem Piſidiæ tractu laudata, quæ pariter atque Olbaba Juliæ Auguſtæ nomen præfert, in nummo quem affers pag. 115. in Elagabalo. Ita caſſam

& futilem, quocumque te vertas, ac ſecum ipſam pugnantem, animadverſionem iſtam tuam, cui ex Stephano patrocinium quærebas, de Olbia, quam & Olbam vocas, fateare neceſſe eſt.

P

PATRENSI nummo quid deſit, te non vidiſſe.

EST Agrippinæ nummus pag 166. cujus hæc inſcriptio, COL. A. A. P. GENIVM. hoc eſt, ut nos ſæpe 114. indicavimus, *Colonia Auguſta Aroë Patrenſis.* Sed nummum haud dubie exeſum vidiſti : integrum ſi offendiſſes, legeres profecto, GENIVM. P. R. ut in Corinthiorum nummo admonuimus : quartumque caſum, ſi ſcires, ſæpe in nummis occurrere diceres, verbo ſubaudito, ſalutat, colit, ſimilive alio. Sic præter exempla quæ plurima attulimus in eam rem, nummus Erythræorum in quem nuper incidimus, habet, ΑΥΤ. ΝΕΡΟΥΑΝ. ΤΡΑΙΑΝΟΝ. Sic & in epiſtolarum inſcriptionibus haud raro : *Ennodius Armenio conſolatoriam*, mittit ſcilicet. Et *Zoſimus Epiſcopus commonitorium presbyteris & diaconibus, qui Ravennæ ſunt.* Inſcriptio edita a Viro Clariſſ. & eruditione ſingulari prædito, D. Mabillonio, in Italico Itinere, pag. 33. ΛΑΜΠΑΙΩΝ. Η. ΠΟΛΙΣ. ΜΑΡΚΟΝ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ. ΚΛΗΣΙΠΠΟΝ. ΤΕΙΜΗΣ. ΚΑΙ. ΜΝΗΜΗΣ. ΧΑΡ. Λαμπαίων ἡ πόλις Μάρκον Αὐρήλιον Κλήσιππον τιμῆς καὶ μνήμης χάριν. *Lampæorum civitas M. Aurelium Cleſippum* colit, *honoris & memoriæ cauſa.*

Digitized by Google

PATRENSIS coloniæ nummum alterum a te inter incertos rejectum : qui & cuſus eſt annis octo ſerius , quam cenſuiſti : in altero explicando tibi aquam hæſiſſe.

TIBERII nummo, pag. 132. quem tu inter incertos reponis , adjecta hæc in parte averſa inſcriptio eſt,
115. PERMISSV. DOLABELLAE. PROCOS. C. P.....
Tu punctis additis mutilum eſſe nummum adeſumque admones. Quin conjectabas ſupplendum fuiſſe, C. PATR. ac ſi vel eæ ſolum litteræ duæ forent, C. P. ut pag. 177.
116. & 178. coloniam Patrenſem oportuiſſe intelligi ? ac Dolabellam demum in Achaïa tunc pro conſule fuiſſe ?

At in Africa, inquis, Dolabella Proconſul fuit eo anno. Quo ? Ab Urbe condita, ſic enim mones, DCCLXXVI. Quis auctor ? Tacitus, libro IV. Annalium. At ille eo loci, cum res geſtas deſcribit, Corn. Cethego , Viſellio Varrone Coſſ. *ejus anni Proconſulem Dolabellam* fuiſſe docet. Anno igitur DCCLXXVII. Sed ſit annus ille, quem deſignas: non fuit igitur Dolabella in Africa Proconſul , quo anno cuſus hic nummus eſt, quo de agitur. Nam quæ ejus nummi inſcriptio eſt, ipſo referente te ? TI. CAE. DIVI. AVG. F. AVGVST. COS. IIII. Atqui Tiberius quartum Conſulatum iniit anno ſolum DCCLXXXIV. æræ Chriſtianæ vulgaris XXXI. qui in deſcriptione Conſulum adſcripta Idatio inſcribitur, *Tiberiano Caſ. IV. ſolo:* nam in MS. ſemper *Tiberiano* pro *Tiberio* legitur. Nec ante eum annum igitur cuſus hic nummus eſt, Dolabella non jam in Africa, ſed in Achaïa , proconſule : & a vera temporum ratione annis octo aberraſti. Haud levior paulo lapſus alter , quo inſcriptionem, a Sponio repertam in Dalmatia, refers ad annum DCCLXXII. cum Tiberius, inquis, eſſet deſignatus Conſul IIII. Eſt illa hujuſmodi. TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. IMP. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XX. COS. III. DESIGNAT. IIII. LEG. XI. P. CORNELIO. DOLABELLA.

Digitized by Google

LEG. PROPR. At ne Conſulatum quidem tertium iniit ante annum DCCLXXIV. Quartum, ut diximus, geſſit anno DCCLXXXIV. Itaque hæc inſcriptio facta eſt anno DCCLXXXIII. cum deſignari mos eſſet Conſules ante menſes aliquot quam inirent magiſtratum. Vide quot in hoc nummo explicando errata admiſeris, & quam gravia.

Verum in altero ejuſdem coloniæ nummo quanto dilucidius liquet, ubi nemo præeat, ut vel omnino hæreas, vel infeliciter ceſpites? Nam in nummo Neronis, cujus hæc eſt epigraphe, pag. 178. C. P. CLEANDRO. P. Q. 116. C O. D. O. poſtquam priores litteras expediiſti, *Colonia Patrenſis*, *Cleandro*, hæres deinde, & obmuteſcis. At nunc ego tecum communicabo lubens id arcanum. Lege, *Cleandro perpetuo Quinquennalitio corporis dolabrariorum Coloniæ Patrenſis.* Quid frontem hic caperas? Corpus dolabrariorum aïo, cujus perpetuus Quinquennalitius Cleander fuit, Neroni ſtatuam locaſſe, qualis in nummo pingitur, in colonia Patrenſi. Vidiſtin apud Gruterum, pag. CXXVI. inſcriptionem antiquam? ORDO. CORPORATOR. QVI. PECVNIAM. AD. AMPLIAND. TEMPLVM. CONTVLER. Et mox: QVINQ. PERPETVVS. C. SOSSIVS. BENEDICTVS. Huic alterius fragmentum adjunge, ex pag. CCCLVIII, 6. quod in ſtylobata legitur: CENTVRIA. CENTONAR. DOLABRAR. SCALARIOR. L. D. D. C. hoc eſt, *locus datus decreto collegii*, vel *corporis*. Adde & ex baſi, cui ſtatua Conſtantini M. impoſita, apud Gruterum, pag. CCLXXXIII. CORPVS. CORIARIORVM. &c. Ex his intelliges, & ſtatuas, aliaque monumenta, in honorem principis a corporatis ſtatui ſolita eſſe: nec aliam fuiſſe Cleandri præfecturam. Horum Quinquennalium, ſive Quinquennalitiorum frequens ibidem mentio: veluti collegii fabrorum Oſtienſium, pag. CCCLVIII, 1. collegii fabrorum tignariorum, pag. CCCCXXXV, 8. corporis marmorariorum, pag. CCCCLXXXIII, 8. corporis negotiantium Malacitanorum, DCXLVII, 1. corporis piſcatorum & urinatorum, pag. CCCXCI, 8. PATRONO. CORPORIS. PISCATORVM. ET. VRINATORVM. QQ. III. EIVSDEM. CORPORIS.

Quinquennales tertium. Suggerunt denique eæ notæ CO. DO. recordationem notarum ſimillimæ brevitatis ΜΕ. ΕΥ. in nummo Maronitarum, ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. CΩΤΗΡΟC. ΜΕ. ΕΥ. Quas ita reddi oportere, Μεγάλυ, Εὐεργέτυς, ipſe confitebere, agnoſceſque ultro ac lubens in opere tuo de Græcis civitatibus, ſi ea quæ de Maronitarum nummis diximus, pag. 314. paulo attentius legeris.

R

ROMANO in orbe colonias & municipia duum generum fuiſſe : aliis civium Romanorum : aliis dumtaxat jus Latii veteris eſſe conceſſum : ex nummis autem cum alia ab aliis poſſint internoſci, te omnia miſcuiſſe.

ROMAM principem urbium, ut ab Horatio appellatur, imperiique Romani metropolim fuiſſe, in confeſſo eſt. Etiam Theodoſii M. principatu, quo tempore nova Roma commune cum Roma vetere regnum & imperium affectabat: huic illa tamen tanquam metropoli, ſive genitrici imperii adſurgebat. Quare Themiſtius noſter, cum apud Conſtantinopolitanos cives orationem haberet, quæ Sophiſta inſcribitur, veterem Romam appellat, τὴν μητρόπολιν τὴν ἡμετέραν ... ἣ τῶν μὲν ἄλλων πόλεων βασιλεύει, τῇ δὲ ἡμετέρᾳ συμβασιλεύει. *Metropolim noſtram .... quæ cum aliis civitatibus imperet, commune cum noſtra regnum atque imperium obtinet.*

Certe non alio quam βασιλευούσης πόλεως nomine ab Euſebio Cæſarienſi deſignatur : veluti cum adeſſe negat potuiſſe Nicænæ ſynodo βασιλευούσης πόλεως epiſcopum, nempe Silveſtrum Papam, libro III. de vita Conſtantini, cap. VII. Et cum Helenæ matris corpus delatum a militibus dicit ἐπὶ τὴν βασιλεύουσαν πόλιν, cap. XLVI. Et cum urbem Romam, τὴν βασιλίδα πόλιν, ægre tuliſſe docet, quod ſepultus fuiſſet Byzantii Conſtantinus : id quod & Aurelius Victor, libro de Cæſaribus, refert. Cum idem Euſebius interim novam Romam appellet ſolummodo τὴν βασιλέως ἐπώνυμον, *imperatori*

Conſtantino *cognominem*. Tametſi poſtea, a Theodoſii præſertim junioris principatu, regia urbs nova Roma, atque, ut diximus, imperii genitrix exiſtimata eſt. Quæ obiter haud abs re indicari tibi a nobis tunc intelliges, cum ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ nummos illuſtrabis: ne cum viris doctis aberres, quos ſecus ſentire deprehendimus: atque idcirco de Metrophane Byzantio ea interpretari, quæ de Silveſtro Romano Euſebius prodidit.

At cum omnibus imperaret urbibus Roma vetus, alio ſenſu plurimarum fuiſſe ſpeciatim metropolim, coloniis eo deductis, nihilo minus exploratum eſt. Fuere autem illæ coloniæ duum generum, quod tu neſciſti ex ipſis diſci poſſe nummis. Aliæ jure civium Romanorum donabantur, aliæ ſolo jure antiquo Latii, quod & Italicum poſtea dictum eſt, cum univerſæ Italiæ fuit impertitum. Solvebant Itali Romanis ante Auguſti principatum vectigal, ut reliquæ provinciæ: id ille ſuſtulit. Quibus autem jus Italicum communicatum eſt, aut jus coloniæ, non eadem continuo conceſſa immunitas eſt. Quibus eſt denegata, his jus Italicum negatum a Jureconſultis dicitur, Celſo, Gaïo, Paulo, Ulpiano, libro L. Dig. tit. XV. de cenſibus: quoniam jus Italicum illi eatenus dumtaxat ſpectavere, qua immunitatem a cenſu & tributis habet. Sic enimvero Cæſaream Palæſtinæ, & Æliam Capitolinam jure Italico frui negat Paulus JC. Quibus viciſſim data eſt, etſi Romanæ coloniæ forent, hoc eſt, jus haberent civium Romanorum, jus Italicum his impertitum eadem de cauſa illi ipſi dixere, tacito altero civium Romanorum jure: ut de Antiochia Piſidica, Philippis in Macedonia, & Troade prodidere: quod de jure civium Romanorum nihil erat cauſæ cur mentionem facerent. Jus illud ceteroqui fuit, ut coloniæ civibus, perinde ac Romanis ipſis, in Urbe petere ac gerere magiſtratus liceret: quo qui Italico tantum jure in provinciis donabantur, omnino caruere. His enim ſolummodo licuit in bello cum Romanis legionibus militare, ibique honoribus magiſtratibuſque fungi: quod jus Latii vetus fuit, ſive Latinum antiquitus. Immunitatem coloniarum nummi non docent: jus Romanorum civium quæ haberent, quæ dumtaxat Italicum, ut nunc aperiam, docent.

Quæ igitur coloniæ, vel municipia, lupam habent inſculptam in nummis cum Romulo & Remo, ut colonia Damaſcena: hæ coloniæ Romanæ, (nam ſic Plinius Troadem
92. vocat:) hæc municipia civium Romanorum, ut idem ſæpiſſime. Eam enim ob cauſam inſigne Urbis Romæ, & jus ſuum palam oſtentant. Quæ non habent, jure tantum gaudent Italico. Atque ut e multis pauca commemorem, ullumne vidiſti ſive coloniæ alicujus, ſive municipii in Hiſpania, ullumne coloniæ Cæſareæ in Palæſtina, Æliæve Capitolinæ, aut Beryti nummum, cui lupa eſſet cum gemellis inſculpta? Plane nullum: cur? quoniam non erat his conceſſum jus civium Romanorum: ſed erant juris dumtaxat Italici, ſive Latini, præter Hiſpalim, ut dicemus.

Quodnam viciſſim, inquies, coloniæ aut municipii juris Latini inſigne exſtitit? In nummis certe nullum: nam quid attinebat tam exiguo jure gloriari? Itaque iſtud ibi neglectum: niſi legio ſubinde notata, in qua militare Latino jure donatis licuit, ut ſupra diximus, pag. 37. & 38. Sed idem tamen expreſſum alibi. Ecquod illud fuerit rogas? Sus fuit, ut ex Hieronymo diſcimus, in chronico, ad annum xx. Hadriani, quo anno abſoluta Æliæ Capitolinæ ædificatio eſt. *Ælia*, inquit, *ab Ælio Hadriano condita: & in fronte ejus portæ, qua Bethleem egreditur, SVS ſcalptus in marmore, ſignificans Romanæ poteſtati ſubjacere Judæos.* Cur ibi fuerit ſcalpta ſus, aliud alii ariolantur: tu non Romanæ modo ditionis, ſed & Latinæ conditionis coloniam ex eo intellige: diverſumque inſigne Urbis, ab inſigni Latinorum. Audi Maronem, Æneïdos VIII, 43.

Litoreis ingens inventa ſub ilicibus SVS,
Triginta capitum fetus enixa, jacebit:
Alba, ſolo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo terdenis urbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis ALBAM.

Hodieque in civitate Albana, quæ in veteris Albæ locum ſucceſſit, ſupra portam, qua Romam iter eſt, ſus ſcalpta cum porcellis cernitur. *Omnes* autem *Latini ab Alba oriundi ſunt*, ut Tarquinius Superbus in concilio Latinorum dixit, teſte

Digitized by Google

teſte Livio, lib. I. Ex quo ſimul, atque ex Dionyſio Halicarnaſſeo, lib. III. intelliges, tricenis illis fetibus, quos Maro commemorat albos circum ubera matris, XXX. colonias Latii veteris deſignari: tametſi a Varrone decepti aliud hoc loco interpretes comminiſcuntur. Similis Feſti aberratio, cum ait: *Porci effigies inter militaria ſigna quintum locum obtinebat: quia confecto bello, inter quos pax fieret, cæſa porca fœdus firmari ſolebat.* Fallitur: non ea cauſa fuit: ſed propterea quia in acie permixti Romanis, quorum erat aquila propria cum ſignis aliis, Latini dimicarent, ſub ſigno ſuis, quæ Latinorum originem ab Alba indicaret.

Emenda igitur, quod in nummo Troadis refers, ſub Commodo, pag. 318. *Lupæ ubera Romulo & Remo præbentis typus, coloniarum inſigne*: neque enim omnium coloniarum id fuit: nedum municipiorum omnium, ut affirmas in L. Vero, pag. 285. Et quod proxime adjicis in Troadis nummo, quem diximus, ſi ſapis, expunge. *Romulus*, inquis, *& Remus ab Ænea Trojano ortum ducebant, ut canit Virgilius, Æneid.* I.

Ilia Mavorti peperit te, Romule, eodem
Æque Remum partu, Romæ qui mœnia condis.

Atque ſaltem ſi diceres, pro *æque*, vati tuo, quicumque eſt ille, non turpem ſolœcum impingeres. Virgilio autem quo tu ore hos verſus adſcribis? niſi forte alicujus cujuſpiam Virgilii ſunt, alteriuſque Æneïdos, quæ nondum lucem viderit, tuiſque adhuc in ſcriniis condita deliteſcat.

Sed palinodiam præterea canes eorum, quæ ante annos ferme quatuor, tuo, ut ad nos fidiſſimi teſtes retulere, tuique tunc egregii paris hortatu atque dictatu, adverſum nos conjecit, conſiliorum tuorum ignarus, Auctor Nunciorum Reipublicæ Litterariæ in Hollandia: ſcribeſque ad eum, cautior deinceps ut ſit, alienæ invidiæ ac maledicentiæ ne ſe præbeat adminiſtrum. Fraudem ſe tamen ille paſſum a vobis poſtea intellexit: & viſus eſt quidem velle operam dare ut id omnes intelligerent: cujus rei gratiam ei habemus. Tamen reperti in eo ipſo tractu rurſum alii, qui noſtra inventa corroderent maligno dente. Iſtos uti noſcas dabo nunc obiter operam, ne ſi cum his ſocietatem adverſum nos clanculum ineas, cauſam tuam idoneis commiſiſſe te patronis putes.

S

Digitized by Google

Auctores intelligo Bibliothecæ Univerſalis : audio enim plures eidem illi opellæ inſudare. At quam infeliciter, facies mox ipſe judicium : exclamabiſque cum Hieronymo, Artes felices, ſi de his ſoli artifices judicarent. Plinius libro XXXV. ſect. XL. num. 32. pag. 234. ſic habet ex emendatione noſtra. *Alcimachus Dioxippum*, nempe pinxit, *qui pancratio Olympia (* non *Olympiæ*, ut illi eruditi ſcribunt, *) citra pulveris tactum, quod vocant aconiti, vicit : coniti, Nemæa.* Diximus ad eum locum in Notis & Emendationibus, ita belle ludum ludo, victoriæ victoriam opponi, cum Olympiis Nemæa Plinius confert, & facili ac ſine pulvere victoriæ alteram laborioſius comparatam. In libris hactenus vulgatis legi, *Cœnus ſtemmata* : at neque pictoris nomen eſſe *Cœnus*, nec ſatis idoneum picturæ, quale hic requiritur, argumentum, ſtemmata. Multo vero minus *ſcammata*, quæ Salmaſius hoc loco obtrudit, in Exercit. ad Solinum, pag. 36.

Hic noſtri Bibliothecæ Univerſalis concinnatores negant in Aprili menſe anni ſuperioris MDCLXXXVII. pag. 18. κονιτὶ perinde atque ἀκονιτὶ Græce dici. Quid ita ? quoniam Salmaſius Magnus ita edixit. Intelligant nunc iſti autem iterum Salmaſii buccinatores, quod jam in noſtra dudum ad Plinium præfatione monuimus, tum ejus viri diligentiam plurima fugiſſe, tum locum illum in primis Etymologici magni : quem prius illis indicare haud licuit. Hunc porro ſi ad hos homines miſeris, inibis gratiam ab iis haud ſane mediocrem : ac pro vice officii, id te conſecuturum, ut maledicta in nos, quæ ſuggeſſerint invidi aut imperiti, deſcribant, & in vulgus ſpargant, ſpondemus, noſtramque, ſi cupis, fidem interponimus.

Ἀκονιτὶ ἄνευ πόνου· τὸ δὲ ἐναντίον, ἐγκονιτὶ μετὰ πόνου. κατὰ τροπὴν τοῦ π εἰς κ, ἀπονιτὶ ἀκονιτὶ ἰωνικῶς, ὡς τὸ πῶς, κῶς. πότε, κότε. Ἀπὸ τοῦ κόνις ΚΟΝΙΤΙ. καὶ ἀκονιτὶ, ἄνευ ἀγῶνος καὶ μάχης. ἐκ μεταφορᾶς τῶν ἀθλητῶν, τῶν εὐμαρῶς περιγινομένων, ὥστε μὴ κονίσασθαι, τουτέστι κόνιν ἐπιπάσασθαι. Τοῖς γὰρ παλαίουσι λέγεται ἐκ τῆς βίας ἱδρῶτα γίνεσθαι, εἶτα κόνιν ταῖς χερσὶν ἀναλαμβάνειν. ἢ ἀκονιτὶ, τὸ εὐχερῶς καὶ συντόνως. ὥστε μηδὲ κονιορτὸν ἐγείρεσθαι. Unum iſtud porro ſpeciminis inſtar indicavimus, unde intelligas, nos nihil tale merentes ab his laceſſiri. Superſedemus pluribus

quæ objiciunt coarguendis : tum quod id eſt alienum hoc loco : tum quod ſunt cetera digniora quæ ſpernantur, quam ut in his refellendis bonæ perdantur horæ. Igitur ad te redimus.

S

SIDONIORUM in nummis quæ appellari certamina perpetua oportuit, portentoſo & inaudito nomine periodonica te dixiſſe.

HABENT hanc epigraphen quatuor apud te Sidoniorum nummi, tomo poſteriore : duo ſub Elagabalo, pag. 131. totidem Anniæ Fauſtinæ, quæ Elagabali uxor, pag. 152. 117.
CERT. SAC. PER. OECVME. ISELA. Hoc eſt, te interprete, *Certamina ſacra periodonica œcumenica iſelaſtica.* Quæ iſelaſtica & œcumenica diceretur, brevius ac melius quam tu, indicavimus in libro de nummis, pag. 192. Periodonica, fateor, ignota nobis plane fuerant ante hunc diem. Si quid igitur recti ac ſani doces, non erimus ingrati, beneficium agnoſcemus.

Periodonica jubes intelligi certamina, *adeo celeberrima*, ſic enim dicis, ut ad ea victores periodo omnium ſacrorum certaminum admitterentur. Periodo viciſſe, ex Feſto Pompeïo (quem cur Pompeïum vocaſſe, in indice erratorum tuorum te pœniteat, ut Pomponium appelles, non video :) periodo, inquam, viciſſe eum, qui Pythia, Iſthmia, Nemea, Olympia vicerit. Periodonicas denique appellari, ex Athenæo, qui decies viciſſent : ex Julio Polluce, qui decies ſepties. Nam ille quidem de neſcio quo, ἐνίκησε δὲ τὴν περίοδον δεκάκις, inquir. Iſte, ἑπτακαιδεκάκις δὲ περιόδους ἀνείλετο τῶν στεφανιτῶν ἀγώνων. At hujus tuæ præclaræ doctrinæ, ut leniſſime dicam, quot capita, tot errata. Primum enim, ad hæc certamina non victores ſolum, ſed & qui ne ſemel quidem viciſſent, ex omni orbe ſunt invitati, id quod œcumenicorum ludorum appellatio indicat. Deinde, qui periodo viciſſent, hoc eſt, περιοδονίκας, quod ex Polluce & Athenæo non appellari ſolitos eo nomine

colligas, niſi qui ſæpius victores periodo fuiſſent, dici meo quidem judicio abſurdius nihil poteſt: cum περιόδῳ νενικηκέναι eum quoque qui vel ſemel quadrigemino illo genere ſuperior exſtitiſſet recte dici haud obſcure iidem ſignificent. Periodonicæ porro quiqui fuerint, quis periodonica ex eo vocabulo certamina, ſi ſobrius ſit, vel ſi Græcas litteras ſummis, ut aïunt, labris deguſtarit, nuncupari putet poſſe?

Vides ergo non te jam unius, ſed multiplicis noxæ multam debere. Sed rogas viciſſim quemadmodum legendum ſentiamus. In hunc modum, ſi nos audis: qui nihil aſtutum, nihil adeo abſtruſum aut reconditum cogitamus. *Certamina ſacra perpetua œcumenica iſelaſtica.* Nihil ſimplicius, nihil certius. Cave tamen credas Scaligero nos eam interpretationem debere: qui in Gruteri indice, PER. AVG. *perpetuus Auguſtus* interpretatus ſit. Nam is eo loci non leviter allucinatur: cum eam inſcriptionem quam laudat, pag. CLVII, 6. IMP. CAESAR. F. PIVS. SEVERVS. PER. AVG. reddi oportuerit, *Severus Pertinax Auguſtus.* Ut autem œcumenica certamina ſunt, quia orbi toti patentia: ſic perpetua, quoniam & quotannis celebrata: non trieterica, non pentaëterica, non ſæcularia, ſed anniverſaria, & in omne ævum duratura.

SINOPENSIS colonia cur Romana ſit appellata in nummis, falſam a te cauſam afferri: deductamque eo coloniam annis amplius XX. ſerius quam putaſti.

118. IN Hadriani nummo, pag. 232. inſculptæ hæ litteræ, C. I. F. S. AN. hoc eſt, *Colonia Iulia Felix Sinope. Anno.....* Quo tu deinde loco, *A Lucullo*, inquis, *colonia facta eſt, teſte Strabone, libro* XII. Νυνὶ δὲ καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν δέδεκται. *A quo tempore modo æram in nummo Gordiani Pii computat, ubi colonia Romana & Iulia inſcribitur: in aliis vero, ubi Iulia tantum dicitur, epocham ab anno* DCVI. *ſub Iulio dinumerat, quod primum a Lucullo deducta ſit, & a Iulio colonis iterum frequentata.* Si tibi quæ placent, fingere pro arbitratu fas

Digitized by Google

eſt, antiquos jam Sardos adæquas, qui quæ volebant, ſomniare olim dicebantur. Neque enim Strabo coloniam a Lucullo deductam dicit, aut dicere vere potuit: ſed ſuo tempore, (ſcribebat is Tiberii principatu,) coloniam jam excepiſſe. Quin nos audiebas, cum pag. 456. operis noſtri de nummis antiquis moneremus, priorem Sinopenſium æram cœptam numerari anno Urbis Romæ DCLXXXIIII. Cn. Pompeio Magno, M. Licinio Craſſo Coſſ. quo anno Mithridate pulſo, Ponticæ civitates Lucullo ceſſerunt? quin hac in re acquieſcebas? cur etiam factam a Lucullo coloniam affirmaſti? aut quo id auctore didiciſti?

Tu etiam ante nos, inquis, pag. 214. in Gordiano, has litteras, C. R. I. F. S. interpretatus es? Dic, amabo, non Patinus ante te iſtas C. I. F. SINOPE. in Geta, pag. 317. explicuit? Quis igitur labor fuit, ſive tibi primum, ut glorieris: ſive nobis abſque tuo vel cujuſquam indicio, ut aſſeveramus, inſertam litteram R, *Romanam* exponere, ubi coloniæ vocabulum antecedat? Sed intereſt plurimum, a quo id temere, a quo conſiderate fiat. Tu igitur quam cauſam affers hujus nomenclationis? Sinope ſe vetuſtiſſimam Romanorum in Aſia coloniam hac voce gloriatur, inquis. Ut mitiſſime dicam, nihil hic plane vides. An coloniæ vetuſtatem ea vox magis, quam novitatem, declarat? Colonia Romana cur dicatur, probabilem afferre cauſam, hoc opus, hic labor fuit. Diſcere autem nunc potes ex iis quæ ſuperius diximus: nempe quod fuerit ei civitati impertitum olim jus civium Romanorum. Accepit hoc beneficium a Lucullo: ex eo ſe Romanam indigitat. An idcirco jam tum colonia fuit? Ita tu quidem affirmas: aiſque deductos eo bis eſſe colonos, a Lucullo ſemel, iterum a Julio Cæſare. Falſo. Fuit enim, Appiano teſte, libro de bellis Mithrid. pag. 227. libertate donatum a Lucullo oppidum: Λεύκουλλος τὴν πόλιν εὐθὺς ἐλευθέραν ἠφίει. An tu coloniam adhuc liberam eſſe aliquam defendis? nec tuum illud commentum ſuperius in Cæſarienſium Palæſtinæ nummis everſum? Colonia igitur primum facta eſt, anno DCCVI. a Julio Dictatore: hoc eſt, annis amplius viginti poſt Luculli victorias: cum prius eſſet municipium liberum civium Romanorum. Nam ante Julii dictaturam 131.

S iij

oſtende, ſi potes, coloniam Romanam Sinopen fuiſſe appellatam. Ab anno igitur eo, quem diximus, appellata eſt colonia Romana: quod jam civium Romanorum prærogativa potiretur. Quam ſimiliter ob cauſam a reliquis Hiſpaniæ coloniis, de quibus paulo ante dictum eſt, forte Hiſpalim eximendam eſſe monuimus, quæ COL. ROMVLEA appellatur in nummis: apud Gruterum, IVLIA ROMVLEA, a Julio Cæſare, ut monet Iſidorus, libro xv. Orig. cap. 1. Forte excipienda & Lugdunenſis, quæ apud Goltzium, COL. ROM. LVGD. inſcribitur. Dic ecquid horum tibi ſubolverit, quod ſim ex te ſuffuratus: dic ecquis omnino nobis hic præiverit: dic quamobrem nihil horum attigeris, cum de coloniis Romanis dicturum te eſſe in ipſa libri fronte profiteare?

T

TYRIIS nummis duobus impreſſa ſymbola te longe ſecus atque oportuit explicuiſſe.

119. DIDONEM aïs pag. 251. tomi ſecundi, in nummo cælatam, quæ viro primario uni, tribus aliis comitantibus, urbis Carthaginis a ſe olim condendæ ichnographiam porrigat: in eamque rem illam Juſtini hiſtorici vocem affers, *Fugam tacite molitur, aſſumptis quibuſdam principibus in ſocietatem.* Hanc iconem a Tyriis adumbratam adjicis in Philippi Imp. gratiam, cujus vultum numiſma præfert, quod is Philippopolim haud procul a Tyriis, condi juberet. Quæ omnia, ut breviter ac moderate dicam, ἀσύστατα & ἄτοπα ſunt. Quid enim Philippopolis ad Tyrios? quam deinde intempeſtive, quam frigide porrigi a Didone fingitur deſcripta lineis oppidi forma, cum ſitus adhuc loci neſcitur, quo fuga paratur? quid deinde Carthagini a Didone in tabella deſignatæ, cum Philippopoli ab Imperatore condita? Nihil horum, o bone, nummus repræſentat. Genium exhibet populi Romani, qui libellum immunitatis ſenatoribus, ſive decurionibus coloniæ
120. Tyriorum porrigat. Sic in Voluſiano, pag. 323. Tyriæ ipſius coloniæ genius, quem præter inſigne capitis adjacens purpuræ

Digitized by Google

concha deſignat, cum Tyrii agri ruſticanis hominibus ſimilis immunitatis diploma communicat. Nihil ſimplicius aut verius dici poteſt: nihil debet aſtutius cogitari. Te autem quoniam ſcribis meditari lucubrationem in Græca numiſmata, in Tyriorum nummis ne allucinere, libenter hic commonebo. Nam cur tibi hoc non gratificer, pro tot egregiis, quibus nos oneraſti, monitis? ΤΥΡΑΝΩΝ, inquam, ſi nummos habes, ſub Antonino Pio, Severo, Julia Domna cuſos, vide ne ad Tyrios, vide ne ad Tyranos Ponti Euxini incolas referri putes oportere. Ad Τυραΐον illi ſpectant, Piſidiæ oppidum, cujus in Notitia Eccleſiaſtica, & in Concilio Calchedonenſi mentio eſt. Quam iſtud autem benevole conſilium damus, eo tu tam libenter utere.

V

Valentiæ Hiſpanicæ quem nummum adſcribis, ad Africanam hunc ſpectare.

Pag. 5. Julii & Auguſti facies expreſſa in nummo, cujus 121.
averſa area navim prætoriam exhibet, cum his litteris C. I. V. Fabrica ſane rudis, & ut tibi quidem videtur, Hiſpanica: nobis prorſus Africana eſt. Vidimus enim, tractavimus, inſpeximus: intelleximuſque tandem ad coloniam Juliam Valentiam ſpectare, quam Auguſti coloniam in Tingitana Mauretania Plinius appellat, Banaſam barbaro nomine, quam amnis Subur præterfluit. *In mediterraneo*, inquit, *altera Auguſti colonia eſt Babba, Iulia Campeſtris appellata: & tertia Banaſa, Valentia cognominata. Amnis Subur præter coloniam defluens, magnificus & navigabilis. Ab eo oppidum Sala, jam ſolitudinibus vicinum, elephantorumque gregibus infeſtum*, &c. Auguſti ea quidem colonia eſt, tametſi Julia dumtaxat appellatur, ut proxima ei C. I. B. Colonia Julia 20.
Babba, ſic & C. I. V. Colonia Julia Valentia: nam & characteris forma in utroque nummo ſimillima. Et in Cartennæ nummo, quæ Mauretaniæ Cæſarienſis colonia fuit, Jubæ pariter ditionis, ac ſuperiores duæ, C. I. C. Colonia Julia 32.

Cartenna. Ex quo diſcas ejuſdem tractus hos nummos eſſe, quorum forma adeo ſimilis. Antiquum vero Banaſæ nomen reticetur in Valentiæ nummo, novum adoptatur unice & anteponitur: ne cum vicina Babba confundatur, cujus nummi initialibus iiſdem litteris alioqui conſignarentur. Sic coloniam Romuleam Patriciamque, prætermiſſo Hiſpalis & Cordubæ proprio nomine, nummi repræſentant.

Quam mirifice conſtabiliunt noſtram hanc obſervationem alii nummi duo: quos quamobrem prætermiſeris, nihil cauſæ video, cum ſint ambo ejus coloniæ, ambo cimelii Regii, & iidem a Patino vulgati, in libro de numiſmatis Imperatorum?
122. Alter pag. 18. cornu copiæ exhibet, inſcriptumque latere
123. dextro nomen VALENTIA, lævo litteram S. In area
autem nummi poſtica caput muliebre, cum eadem rurſum
124. littera S. Alter eſt M. Aurelii, pag. 234. inſcribiturque,
COL. IVL. VALENTIA. In eo vir nudus ſtat, cum
thyrſo, atque panthera. Adde his & tertium, quem Oiſelius
125. edidit, Tabula XXXI, 6. VALENTIA, cum gemino
cornu copiæ, cujus in ore quidem fructus inſculpti, qui in
eo tractu proveniunt: in acumine, ſcorpionis caput inſertum:
dextro latere elephantina proboſcis ſummo artificio deſignatur. Dic jam, amabo, panthera & ſcorpius, oramne Hiſpaniæ, annon potius internas Africæ ſolitudines indicant? Quid elephantina proboſcis denotat, niſi quod Plinius ait, tractum illum Valentiæ proximum, elephantorum gregibus infeſtum eſſe? Littera S quæ in utraque nummi alterius area viſitur, niſi Suburem amnem ſignificat, qui Valentiam præterfluit, magnificus & navigabilis, & annonæ convehendæ idoneus, quam cornu copiæ deſignat: quid aliud ſignificet, edoce & communica: diſcam a quocumque perlubenter: a te vero avidiſſime: ac pro minervali dicam viciſſim, navi prætoria, quæ in iſto cernitur, quem præ manibus habemus, expeditionem Africanam Auguſti, Ægyptiacamque eo anno factam deſignari: perinde atque tum in iſto, tum in nummo coloniæ Nemauſenſis, palmæ ramo, Ægyptus in provinciam redacta notatur, ut vulgo creditur.

VALENTIÆ

VALENTIÆ ejuſdem Africanæ eſſe nummum inſcriptum COPIA, quem cui tribuas incertus hæres.

SIMILLIMUS ſuperiori nummus inſcriptus COPIA, pag. 6. eorumdem Cæſarum facies, navis præterea eadem: litteræ tantum diverſæ: nam pro C. I. V. in iſto COPIA 126. legitur. Tu Triſtanum interea rides, qui ad Thurium Magnæ Græciæ urbem retulit: & nos, qui olim ad Lugdunum Galliæ. Quam noſtram conjecturam quot argumentis videri poteramus egregie conſtabiliviſſe? Inſcriptione tergemina ſcilicet Gruteri. Prima, C. C. C. AVG. LVGD. *Colonia Copia Claudia Auguſta Lugdunenſis.* Altera: C. C. COL. LVG. *Claudia Copia Colonia Lugdunenſis.* Tertia, qua priores illuſtrantur: COLON. COPIAE. CLAVD. AVG. LVGD. Quo tu iſta autem infringis ariete? plane nullo: ſed nec commemoras quidem: & verbulo tamen uno, *fruſtra*, diffla ſſe te ac disjeciſſe omnia arbitraris. Nec certi quidquam nihilominus ipſe conſtituis: ſed vel ad Valentiam Hiſpanicam revocandum putas*, aut novo commento interpretandum, disjunctis litteris ſingulis, *Colonia Octavanorum Pacenſis Iulia Auguſta.* Tu videlicet fabricæ nummorum egregius æſtimator, nunc iſtum rudis eſſe formæ, atque etiam Hiſpanicæ putas, nunc deliberabundus inquiris, an ad oppidum Narbonenſis Galliæ ultimum, ac proximum Italiæ, ablegari oporteat. Ad Valentiam ille, mihi crede, ſed Africanam, ſpectat, de qua dictum eſt proxime: nam ita mira amborum inter ſe ſimilitudo perſuadet: tametſi nos aliter olim tum de iſto, tum de ſuperiore ſenſimus. Dictam autem eſſe idcirco COPIAM arbitramur, quod ut pridem de Lugduno aïebamus, ibi copiæ, hoc eſt, horreæ & apothecæ forent, in quibus militaris annona conderetur. In vetere inſcriptione mentio fit præfecturæ cujuſdam, A COPIIS MILITARIBVS. Et cum eſſet ea regio ſane limes Tingitaniæ, non potuere opportuniore loco recondi inſtrumenta belli & copiarum alimenta.

UTICENSIS nummi unius quam affers interpretationem emendandam eſſe: in tribus ejuſdem oppidi quiddam quod te fugit adjiciendum fuiſſe.

TRES in primis affers Uticenſis municipii nummos ſub
127. Tiberio, Primum, pag. 128. C. VIBIO. MARSO.
PR. COS. III. C. CASSIVS. FELIX. A. IIVIR.
DD. PP. Alterum, pag. 129. C. VIBIO. MARSO.
PR. COS. III. C. CAELIVS. TAXILLVS. A.
128. II. VIR. DD. PP. Tertium, pag. 130. C. VIBIO.
MARSO. PR. COS. III. C. SALVSTIVS. IVSTVS.
II. VIR. M. M. I. V. Atque in duobus quidem prioribus has notas A. II. VIR. *Augur*, vel *Auguſtalis Duumvir* interpretaris: cum neutrum hoc loco aptum ſit: ſed *Ædilis Duumvir* legi neceſſe ſit. Sic apud Gruterum, pag. CLXXII, 13. M. DOMITIVS. M. F. PRISCVS. Q. A. IIII. VIR. A. P. AVGVR. *Marcus Domitius Marci F. Priſcus*, *Quæſtor*, *Ædilis*, *Quatuorvir*, *Ædilitia poteſtate*, *Augur*. Et hi Uticenſes Duumviri Ædilitia poteſtate fuere, cum eſſent Duumviri deſignati tantum, nec magiſtratum adhuc iniiſſent.

Quare, quod tu attingere auſus non es, diſce exinde quamobrem tres ſub uno Vibii proconſulatu tertio Duumvirum nomen in nummis obtineant. Nam qui duo deſignati eſſent dumtaxat, cum magiſtratu nondum potirentur, non cum municipio integro, ſed cum decurionibus, quorum e corpore fuere illi, ſtatuam Liviæ poſuere. Qui magiſtratum autem gerebat, cum municipibus, ſeu civitate omni. Quamobrem in tertio dumtaxat numiſmate legas, *Municipes municipii Iulii Vticenſis*: quibus Duumvir ſcilicet ducatum præſtaret. In duobus aliis deſignati, ut diximus, ad anni proximi duumviratum: quos ſi Augures, vel Auguſtales, ſcalptor vellet intelligi, AV. non A. exhiberet.

SED ſatis ſuperque hactenus litium atque rixarum: vel potius, nec ſum enim litigioſus aut rixoſus, ſatis admonitionis. Nam qui finis erit, ſi cuncta perſequar? Paucis ergo

contenti ſumus, quæ ſi tibi otium erit, enumerabis. Quanquam veremur, ne vitio nobis & crimini vertas, te ſæpius multo a nobis pulſatum eſſe, quam fuerimus a te appetiti: ſæpius te in jus vocatum, quam tu nos appellaris: appellaſti enim non trecenties, ut eras olim pollicitus: ſed tantum, ut ex indice tuo apparet, quadragies fere tomo priore: poſteriore, ſexagies ſexies: nec tantus etiam numerus exſtaret, niſi ſæpius rem eandem objiceres. In quo dignum etiam riſu quiddam accidit, quem continere ipſe non potui: cum ad paginam 228. tomi prioris lectorem remitti in eo Indice vidi, ut ibi aliquid de Harduino diſceret. At nihil ibidem occurrit, niſi Hardianus Imp. pro Hadriano ſcilicet: quem qui tibi operam locavit, tuo afflatus genio, Harduinum eſſe ibi quoque putavit, in Indicemque cum Harduini nomine præpropere retulit.

Quando ego adeo de te male meritus? qua in re te pupugi? quid ſtomachum movit? cur in me, qui leviuſcula, te teſte, peccavi, quam in ceteros, qui gravioribus multo capti erroribus fuere, durior exſtitiſti? Si animus eſſet contumeliam contumelia propulſare, dicerem quod forte ſubiratior amicus ille noſter, a quo ſum ad ſcribendum incitatus, aïebat: opus illud, quantum quantum eſt, quod pro xeniis ſuperioris anni, poſt tot annorum ſudores, publici juris feciſti, adeo jejunum exſuctumque eſſe, nullius ut anni proventus jejunior exſtiterit: nulla ut ſit lucubratio de hoc argumento dignior quæ tenebris addicatur.

Cauſam ille in primis geminam ſui illius faſtidii afferebat. Alteram, quod in gemino illo volumine, cum ſint nummi ſane plurimi, tamen plerique ſunt obvii, triti, vulgares, ſi eruditio ſpectetur: ad quam promovendam nulli prorſus utiles, quam quos hoc libello excutimus, ac repræſentamus: hoc eſt, præter eos, in quibus explanandis cæcutiiſti: prorſus ut nihil boni in tam ſpiſſo opere ineſſe jurejurando confirmaret, niſi quod tu peſſimum interpretando faceres. Altera cauſa fuit, quod ſcatet opus obſervationibus innumeris, prorſus ab argumento alienis: qualis, præter indicatam antea a nobis de Flaccorum cognomine, & iſta eſt tomi prioris, pag. 322. *Chryſippus Apollinem dictum aït ab α, τὸ ἄνευ, id eſt, non, particula privativa, καὶ πολλοί, quod non multi, ſed ſolus*

claritatem obtineat, aliæque amplius mille ejuſdem farinæ, ac furfuris. Enimvero, exclamabat ille me compellans, tuam fidem, hoccine eſt nummos explanare: an potius otio & charta, atque oculis noſtris abuti?

Experiere me vero multo leniorem: nec de te unquam, nec tibi loquar tam acerbe, mi Valens: Deus abſit: Deus avertat, volui dicere: ſed tu me adhuc ſolœcizare doces, qui hac formula loquendi in tua præfatione abuteris. Non talia, inquam, nobis aliquando in ſermone excident: qui nec fuit unquam, nec erit deinceps de te niſi perhonorificus. Te virum eruditum ſemel iterumque, pag. 146. & 415. appellavi: jamque famæ noſtræ ſentio intereſſe, de te ſemper ut ſic loquar: vel ſi intelligam mihi neminem fidem habiturum: ne ſi ſecus dixero, erubeſcendum mihi ſit, quod cum inerudito homine conſerere manus haud puduit.

Plures fortaſſis nummorum aceruos eventilaſti, quam nos: qui Ludovici Magni theſaurum dumtaxat, & Viri Illuſtriſſimi D. Colberti cimelium, muſeolumque noſtrum perluſtravimus. Sed quod tu plures aliquanto nummos tractaveris, felicitatis fuit: quis negat? Ecquis enim ignorat alios aliis expreſſiores eſſe atque illuſtriores? in plurimis eſſe quædam adeo evanida & obſcura, ut diſcerni nequeant? in aliis deinde nitidioribus ſine labore, atque adeo ſine laude: aut in his ipſis, quid lateat, felicius poſtea clariuſque cum labore ac laude deprehendi? Nec vero erubeſcam fateri hoc poſtremum nobis quoque ipſis contigiſſe in Antiochenſi nummo, pag. 55. e muſeo noſtro, quem ſic pridem legimus: ΑΥΤΟ-ΚΡΑ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ. CΕΒ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥCΙΑC. (Ζ pro Ξ, quod & alias occurrit:) ΥΠΑΤΟ Δ. *Conſul* IV. At nos, inquam, littera fugiens tunc in fraudem impulit: nec Δ, ſed Β, tametſi minus perite a ſcalptore expreſſam, legi oportuit: *Conſul ſecundum*: quartum enim Conſulatum Philippus Imperator non vidit.

Simili ratione quid mirum, ſi pag. 94. RVTILO Duumviro, pro RVLLO, in meo nummo legerim: ſi Patinus, quem allegavi, pag. 80 C. I. A. & Mediobarbus, quem ibidem laudavi, C. A. R. in ſuis nummis viderint, pro C. A. E. ſi idem Patinus, ut dixi, pag. 161. COL. CL.

aliique COL. CL. PTOL. in ſuis ſe pervidere exiſtimarint, tibi ſolum COL. PTOL. in tuo appareat: ſi IVL. FLACCO in meo deprehendere me putarim, tu in tuo Q. FVL. FLACCO exſtare aſſeveres: ſi, non Lunæ creſcens, ut tu ſubinde ſolœcizans aïs, ſed Lunæ creſcentis effigies in meo nummo detrita oculos fugerit, ex qua COL. ANT. ad Antiochiam Piſidiæ pertinere indubium ſit, promptumque vel cœcis agnoſcere: ſi Erizzus, Occo, Triſtanus, aliique, qui in exeſos vetuſtate nummos inciderunt, ac penes quos fidem eſſe ejus rei voluimus, COL. IVL. COSSA. pro COL. IVL. CASSANDR. deſcripſerint: ſi Triſtanus item, cujus fide nummum retulimus, pag. 119. COL. V. IVL. C. pro COL. LAVS. IVL. COR. expreſſerit: ſi pag. 241. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. ΦΙΛΟΡΩΜΕΩΝ. (nam & ita vetuſti lapides) legerim, pro ΦΙΛΟΡ. Μ. Α. quarum litterarum quæ ſit vis ac poteſtas prolixe expoſuimus, in primis pag. 41. ſi nummum inſcribi COL. PARLAIS putavere ii, de quibus dixi, pag. 381. *ſic retulere ii nobis, qui nummum tractarunt*: quanquam & in Lycaonia, quod tu videris neſcire ac negare, Παράλαος vel Πάρλαος fuit, id quod, ut Græca omittam, quæ jam laudavi, teſtatur actio 1. Concilii Calchedonenſis, in qua *Libanius Paralai* ſubſcribit, quem Baluziani codices, ipſo Viro Clariſſimo teſte, pag. 1032. *Libanium Parlai* appellant: ſi deinde Triſtanus in nummo Berytenſi (in quo alii, tuque ipſe a nobis edoctus, SECVRITATI. AVG. alii SECVRITATI. SAECVLI. eſſe legendum aïunt) ille Securitatis, tu Aſtartes Deæ effigiem adſpexeris: ubi non eſt profecto animus hanc iterum ſerram reciprocare, nec de Securitatis effigie, ut auſus ille cum Sirmondo, ſic tecum litigare: ſi in obſcuriore nummo ΗΛΙΟΠ. ΠΡΟC. ΛΙΒ. pro ΛΑΟΔΙΚ. legimus: ſi denique ſemel LEG. XII. pro LEG. III. quod tu ſemel atque iterum reprehendis, pag. 32. & 98. tomi poſterioris, ego exhibui: ſint iſta ſane, ut vis: deſine hæc tamen tantopere venditare.

Quam pauca ſunt enim illa primum in immenſa ſilva nummorum, quam ante incultam primus aravi? cum tibi in tam brevi opere toties ſomnus obrepſerit. Deinde quum per ſe

exigua? Nihil enim dictum a te verius, quam quod ſub ipſum præfationis initium confiteris, eſſe ea, in quibus nos reprehendis, *leviuſcula*: cum ea ſint oculorum, vel nummorum potius obſcuriorum vitia magis, quam noſtræ mentis ac judicii: cum veriſſime nugæ apinæque, & ſi quid vilius iſtis, recte dici poſſint: quas ſi audiant ii, qui veterum nummorum notitiam nullam habent, ſibi facile animum inducant, eorum qui ſtudii aliquid in his ponunt, otioſam eſſe, atque inanem operam, ac deridendam. An ſunt autem nihili ea quæ viciſſim peccaſti? non publicæ utilitatis eſt, ne indiſcuſſa & in obſcuro maneant, tum quæ male objeciſti, tum quæ male excogitaſti? Accipe ea itaque lubens: daque operam, ut admonitione noſtra proficias: ut quæ male doctus es dediſcas, & emendare non erubeſcas. *Si qua ſane alia*, ut oratione Auguſtini utar, in fine libri IV. ad Vincentium Victorem, *quæ plurima in tuis libris emendanda mihi videntur, ſcire forte deſideras, venire tibi non ſit oneroſum, non tanquam diſcipulo ad magiſtrum, ſed forti ad infirmum.*

Quod ſi tantum abes a ſenſu cladis tuæ, ut in certamen redire non pigeat, ſi homines pacis amantes ac ſtudioſos adhuc laceſſere conſilium aliquando futurum eſt: certum eſt, quidquid ſcribas, deinceps non reſpondere: ne ſi lites amare pergas, videamur imitari. Enimvero, ut initio hujus epiſtolæ diximus, & ſcis ipſe ac fateris, tum aliis locis, tum pag. 214. tomi ſecundi, majora nos ad ſe vocant: graviores nos detinent curæ: nunc in ſtudiis ſumus ſanctioribus occupati. Quare, ut te omni cum labore tum metu liberem, prima hæc erit tecum velitatio, eadem erit hæc poſtrema. Vale, & nos, æque ac te amamus, ama.

Digitized by Google

INDEX

RERUM QUARUMDAM INSIGNIORUM.

A

A. A. *Antoniniana Auguſta.* 10
Æra Antiochenorum duplex. 58
V. Chriſti natalis.
Æra Emiſenorum. 97
Æra Flaviorum. 54. 55
Æra Laodicenorum. 108
Æra Neapolitanorum in Samaria. 55
Æra Rheſænenſium. 115
Æra Tarſenſium. 57
Ἀκουστὶ, & φωνή. 138
Alexandriana Tarſus. 57
Amidenorum nummi. 92. *& ſeq.*
A. M. K. & A. M. K. Γ. B. in nummis Tarſenſium. 56. 57
Antiochenorum æra duplex tantum. 58. 59. 60. 61 62.
Antiochia Piſidiæ. 23
AST. AVGVSTA. *Aſtigitana Auguſta.* 33
Auguſti Francorum reges jam a prima ſtirpe. 28

B

B Ἀντιλείουσα πόλις apud Euſebium Roma ſemper appellatur. 134
Boſtreni. 39. 58

C

C. A. C. *Colonia Auguſta Caſarea.* 9
Cæſaream Palæſtinæ quis amnis alluat. 12.
Cartenna Colonia. 72
C. C. I. B. *Colonia campeſtris Iulia Babba.* 34
CERT. SAC. PER. OECVMESELA. 139
CHRISTI Domini natalem in annum incidere V. C. DCCXLVII. ex nummis demonſtratur. 63. 64
menſe Septembri. 65
Annus ex marmore Ancyrano confirmatur. 65
Chriſti prædicationis annus primus incidit in annum XLVI. ex quo ab Herode templum eſt inſtauratum: quem annum XLVI. Joannes in Evangelio cap. 2. commemorat. 67
Chriſtus baptizatus anno Tiberii XV. ex quo provincias rexit Proconſule. 66. 67.
ſexto Idus Novembres. 67
Chriſtus paſſus anno æræ vulgaris XXIX. duobus Geminis Coſſ. 67
Chriſtus poſt baptiſmum quatuor paſchata peregit: poſt initium prædicationis, tria. 67
Chriſtus prædicandi initium fecit Kal. Maii, anno XVI. Tiberii, ex quo regere cœpit provincias Proconſul. 67
C. I. C. *Colonia Iulia Cartenna.* 71. 72.
C. I. C. *Colonia Iulia Corinthus.* 73
C. I. C. A. *Colonia Iulia Corinthus Auguſta.* 73
C. I. G. A. *Colonia Iulia Gemella Auguſta.* 8
COEL. MVN. *Cælienſe municipium.* 82. *& ſeqq.*
Colonia libera nulla. 52
Coloniæ in nummis aliæ civium Romanorum, aliæ Latinæ conditionis. 134.
Comites dicti reges Francorum, & alii. 24. 29.
CONOB. 16. *& ſeqq.* 23 24. 27. 28.

Conſtantini tyranni nummus. 27
Conſtantinopolis imperii genitrix, a Theodoſii junioris principatu. 27. 535
COPIA, Valentia. 145
C. R. I. F. S. *Colonia Romana Iulia Felix Sinope.* 141

D

Δ. Є. Δημαρχικῆς Ἐξουσίας. 15. 49.
Duumviri annorum duorum in uno nummo ſculpti. 47

E

E Miſenorum æra. 97

F

FRancicus inclytus, Anaſtaſius Imp. & Juſtinianus. 16
Francorum reges cur ſoli ex omnibus regibus in nummis ſuis CONOB. inſculpſerint. 18. 19.
Francorum reges ſoli ex omnibus regibus jam a prima ſtirpe tanquam Auguſti. 16. 18

G

Γ. B. in nummis Tarſenſium. 56
Genius Cæſaris, genius populi Romani. 77
Genius coloniæ, genius exercitus. 102

H

HErodis Magni obitus anno V. C. DCCL. menſe Novembri. 66
Hieronymi locus in chronico emendatus ex MS. 109
Hiſpalis colonia Romana. 136. 142

I

INvictus, Sol. 66
ITALICA, quid in nummo Bilbilis ſignificet. 36. 37. 136
Jubæ regis nummi cum anno XXXXV. 72.
Juliæ cognomen unde coloniis inditum. 55.
Jus civium Romanorum, jus Latii. 135.

K

K. ΑΔΕ. M. K. in nummis Tarſenſium. 56
Κοινὸ, ἀκοινεί. 138

L

L. in nummis λυκάβαντα ſignificat. 55.
Latinæ coloniæ quæ. 136
Latinorum inſigne, ſus. 136 non tamen in nummis.
LEG. H. COL. H. *Legio Hadriana, colonia Hadriana.* 101
LEO. NOV. 28
L. IB. ΦΑΑ. 51. 54. 55
LUDOVICI MAGNI res geſtæ erudite & eleganter deſcriptæ in nummis a V. Cl. D. DE LA CHAPELLE. 122.
LVGD. COL. ROM. 142

M

MErcurii cum crumena gradientis effigies cur in nummo ſculpta. 112
Meſopotamia, quæ Romanis paruit, in quatuor regiones diviſa. 70
METALLI. VLP. PANN. 56
MONETA. IMPETRATA. 21.
MON. VRB. 20
Monetæ unius ubi plures officinæ. 15. 16

N

NAtalis Chriſti annus genuinus ex nummis demonſtratur. 63
Natalis Invicti, Natalis Solis. 66
Neapolis Samariæ. 55
N. TR. *Nova Trajana.* 39. 58
NVM. REST. *Numantia Reſtituta.* 122

O

OEcumenici Patriarchæ nomen. 94

P

PAlæſtina quando diviſa in tres Palæſtinas. 68

Palæſtina

INDEX.

Palæſtina quando divulſa a Syria, & ſub Præſide conſtituta. 69
P. CIRC. CON. *poſt Circum conditum.* 50
PERMISSV. AVG. PERMISSV. IMP. PERMISSV. PROCOS. 48. 49. 56. 79. 86.
Ponti regiones quatuor. 71
P. S. S. C. *Ponendum ſuo ſumptu curavit.* 78

Q.

QUinquennales. 41. 42. 135

R

ROma urbs βασιλεύουσα ſemper ab Euſebio appellatur. 134
Romanorum civium jus quibus coloniis ac municipiis attributum. 136

S.

C pro Σ. 31. 32
S. C. cur abſit a nummis Laodicenorum. 20
Septimanorum colonia cur appellata. 38.
Signa militaria quæ & quorſum in nummis inſculpta. 112. & ſeqq.
Silveſtrum Papam adfuiſſe ſynodo Nicænæ per presbyteros legatos docet Euſebius. 134
Sinope colonia Romana. 140
S. R. *Signata Roma.* 22. 23
Statuæ poſitæ Principibus a corporatis. 133.
Sus inſigne Latinorum. 136
Syriæ Præſides. 58. 59. 60. 61. 134.

T

TAPCOY. MHTPOΠ. Γ. B. 56.
Tarſus colonia non fuit. 53.
Tauri natantis effigies in nummo coloniæ Babbæ. 34.
Theodeberti regis Francorum nummus aureus. 39
Theopolis. 17.

V

VABALATHVS. VCRIMOR. 24.
Valentiam coloniam Subur amnis adluit. 143.
VICTORIA. ACC. C. D. N. RE. 29.
Victricis nomen cur quibuſdam coloniis inditum. 38. 136.
V. I. N. K. *Victrix Iulia Norba Cæſariana.* 80.
Virgilii locus explicatur. 137.

V

SVMMA PRIVILEGII Regis Chriſtianiſſimi.

CAUTUM eſt auctoritate Regis, ne quis intra annos octo proximos librum qui ſic inſcribitur, JOANNIS HARDUINI *Societatis* JESU *Presbyteri*, *Antirrheticus*, *de Nummis antiquis coloniarum & municipiorum*, *&c.* abſque permiſſu FRANCISCI MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographi, imprimat aut divendat, a die publicationis horum exemplarium. Qui ſecus fecerit, multa in diplomate Regio indicta multabitur. Datum in Palatio ad Fontem Blaudi, die XIV. Octobris anno Domini MDCLXXXVIII. Sic ſignatum. De mandato Regis,

DE LA BAUNE.

Publicari liber cœptus eſt, *die* XXV. *Februarii.*

EGO JACOBUS LE PICART, Societatis JESU in Provincia Franciæ Præpoſitus Provincialis, facultatem concedo, ut P. JOANNIS HARDUINI liber, cui titulus eſt, *Antirrheticus de nummis antiquis &c.* typis mandetur. Flexiæ, die V. Julii, MDCLXXXVIII.

JAÇOBUS LE PICART.

PAg. 18. *verſu* 12. *adde*. In nummo Licinii, SMNΓ. *Anno tertio*, inquit Noriſius; cum ſit officina tertia Nicomedienſis.

Pag. 19. *verſu* 27. ΘΗΜΑΡΧ. *lege*, ΔΗΜΑΡΧ.

Pag. 38. *verſu* 8. *lege* ſtipendia.

Pag. 60. *verſu* 32. *adde:* Numidium Quadratum Joſephus appellat, libro XX. cap. V. ſive VIII. Ummidium vocat Vir Clariſſ. Mabillonius, tomo 2. Muſei Italici, pag. 595. ex vetuſto lapide: C. VMMIDIO. C. F. TER. DVRMIO. QVADRATO. COS. LEG. DIVI. CLAVDI. IN. ILLYRICO. EIVSDEM. ET. NERONIS. CAES. IN. SYRIA. Numidio Quadrato ſucceſſit Vinidius, Vinidio Curbulo, ex Tacito, libro XIV. Annalium, cap. XXVI. Corbuloni Ceſtius, de quo mox dicetur.

Pag. 64. *verſu* 34. *lege*, ſuffectus eſt, ut refert Joſephus, libro XVII. Antiq. cap. VII. Quintilius Varus.

Pag. 66. *verſu* 20. *adde*: Nec dubitamus quin illud ſit quod Fauſtus Manichæus ridicule Catholicis objecit, apud Auguſtinum, libro XX. contra ipſum, cap. IV. *Solennes gentium dies cum ipſis celebratis, ut Kalendas & Solſtitia.* Januarias ſcilicet Kalendas, & ſolſtitium hibernum. Quam accuſationem Auguſtinus, cum ceteras dilueret, neglexit.

Pag. 67. *verſu* 21. *lege*, duobus Geminis Coſſ. Nam & Judæorum præterea ritus, & Aſtronomicæ tabulæ in eum annum, ut alias dicemus, conſentiunt.

Pag. 68. *verſu* 12. *lege*, Theodoſio.

Pag. 78. *verſu* 25. *lege*, edoceant.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Dolivart Sculpsit

Digitized by Google

ROMA

Digitized by Google



Dobinart Sculpsit

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google



Donuart ſculpsit

Digitized by Google




Dohuart ſculpſit

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google



Dolmart ſculp.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.

Digitized by Google



Dolmart Sculpsit

Digitized by Google

Digitized by Google



Delmart ſculp.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google